Series II. Sectio II. - «ANALECTA OSBM» - Vol. I (VII) - Fasc. 4
Серія II. Секція II. - « ЗАПИСКИ ЧСВВ » -Том. I (VII) – Вип. 4

ANALECTA
ORDINIS S. BASILII MAGNI

ROMAE - 1953
SUMPTIBUS PP. BASILIANORUM - PIAZZA DELLA MADONNA DEI MONTI, 3
diasporiana.org.ua

« ANALECTA ORDINIS S. BASILII M. »

ROMA - PIAZZA MADONNA DEI MONTI 3

Prodeunt in praesenti ut opus non periodicum, cura et studio PP. Basilianorum S.ti Josaphat, collaborantibus aliis viris studiis historiographicis occupatis. Quod opus, magni sane laboris et gravium hisce temporibus expensarum, optamus acceptum fieri praesertim apud exteros omnes, qui orientalibus et slavicis rebus incumbunt. Singuli fasciculi Secundae Sectionis « Analectorum, OSBM » constant ad minimum 160 paginis in-8, quorum quattuor volumen efficiunt prodeuntque in lucem temporis intervallis non accuratius determinatis. Redactionem administrationemque quae spectant, dirigantur ad: *« ANALECTA OSBM », Roma (103), Piazza della Madonna dei Monti 3, Italia.* Huc mittantur quoque omnes libri editionesque periodicae destinatae recensioni aut reciprocae commutationi (amplius hac de re vide: p. 161-162 primi fasciculi). Scripta admittuntur quacumque lingua europea exarata, praemisso in articulis majoribus brevi argumento in lingua latina.

"ЗАПИСКИ ЧИНА СВ. ВАСИЛІЯ В."

Виходять неперіодично працею й засобами ОО. Василіян, за співучастю й інших вчених, своїх і чужих. Видання присвячене студіям з різних галузей історіознавства церковного та чернечого життя европейського Сходу. Кожний випуск обниматиме щонайменше 160 ст. друку. Чотирі випуски становитимуть один том, без огляду на час їхньої появи. В усіх редакційних та адміністраційних справах треба писати на адресу: ЗАПИСКИ ЧСВВ — Рим (103), Пяцца Мадонна деі Монті 3 — ІТАЛІЯ. На цю адресу треба рівнож присилати всі матеріяли призначені до оцінки й друку. Технічні й фінансові обставини не дозволяють Редакції пересилати коректуру авторам поза межі Італії. Тому побажаним є надсилати рукописи до друку вповні викінчені, писані машинописом і на одній лише сторінці.

INDEX FASC. 4.

I. - ARTICULI:

SAC. J. CHOMA, *Maximilianus Rylo-Episcopus Chelmensis et Peremysliensis* (1759-1793) 441

II. - DOCUMENTA COLLECTANEA:

VITAE BASILIANORUM RECENTIORUM: *Josaphat Kocylovskyj OSBM, Episcopus Peremysliensis* (imago) 472

P. I. NAZARKO OSBM, *Josaphat Kocylovskyj OSBM, Episcopus Peremysliensis* (1917-1947) 473

« ANALECTA ORDINIS S. BASILII M. »

INDEX VOLUMINIS I.

I. - ARTICULI:

A. G. WELYKYJ OSBM, *Joannes Velamin Rutskyj in « exitu viarum »* 9

G. PAPP, *I monaci dell'Ordine di S. Basilio in Ungheria nel secolo XIII* 39

A. G. WELYKYJ OSBM, *Procuratores negotiorum Ecclesiae Ruthenae in Urbe*: I. *Fuitne R. P. Joannes Grużewski primus Procurator Ecclesiae Ruthenae in Urbe?* 57

II. *Primus Procurator Negotiorum Eccl. Ruthenae in Urbe*: *P. Nicolaus Nowak*, 1626-1633 62

B. SKUBLENY OSBM, *De origine festi Patrocinii B.mae Virginis M.* . 209

M.M. SOLOWIJ OSBM, *De restitutione Metropoliae Kioviensis in Imperio Rossiaco sub Imperatore Alexandro I* (a. 1806) . 228

S. S. Sabol, OSBM, *Doctrina Meletii Smotryckyj de Spiritu S.* . 249

Sac. J. Choma, *Maximilianus Rylo-Episcopus Chelmensis et Peremysliensis* (1759-1793) 441

II. - DOCUMENTA COLLECTANEA:

Prima « Basilica minor » in O.S.B.M. . 79

Vitae Basilianorum recentiorum: 1939-1944, col. A. W. 84

T. T. Halusczynskyj OSBM, *Andreas Szeptyckyj OSBM, Metropolita Haliciensis* 268

A. G. Welykyj OSBM, *Duae epistulae cardinalis Isidori ineditae* . 285

Vitae Basilianorum recentiorum: *Josaphat Kocylovskyj OSBM, Episcopus Peremysliensis* (imago) 472

P. I. Nazarko OSBM, *Josaphat Kocylovskyj OSBM, Episcopus Peremysliensis* (1917-1947) 473

P. P. Myskiv OSBM, *Protoarchimandrita, R. P. Theodosius T. Halusczynskyj OSBM, Protoarchimandrita Ordinis Basiliani S. Josaphat* 489

A. W., *R. P. Josaphat J. Skruten OSBM, Primus Redactor « Analectorum OSBM »* 498

C. Korolevskij, *Catalogus Archivi Procuratoris Generalis Ecclesiae Ruthenae in Urbe* (finis) . . . 502

A. Hodinka, *Documenta Koriatovicsiana et Fundatio Monasterii Munkacsiensis* (cont. 2) . . . 525

A. G. W., Antonius Hodinka. Nota biographica 552

A. G. WELYKYJ OSBM, *Prima Unio Eparchiae Leopoliensis* (an. 1607) 553

T. T. HALUSCZYNSKYJ OSBM (†), *Un progetto per la stabilizzazione della Metropolia di Kyjiv a Leopoli* 568

III. - MISCELLANEA:

T. T. HALUSCZYNSKYJ, *Il Pontif. Collegio di S. Giosafat, paterno dono della Santa Sede Apost. alla nostra Chiesa Unita* . . . 116

D. TANCZUK, *Quaestio Patriarchatus Kioviensis tempore conaminnum Unionis Ruthenorum* (1582-1532) 128

A. G. WELYKYJ OSBM, *Annus et dies mortis Metropolitae Raphaëlis Korsak* 145

BORSCHAK E., *Une Eglise Catholique Ukrainienne à Paris il y a un siècle* 360

A. G. WELYKYJ OSBM, *Fontes C. Card. Baronii « De Ruthenis... » inediti* 364

M. M. SOLOWIJ OSBM, *De Commentario liturgico S. Sophronio attributo* 372

O. OHLOBLYN, *Quaedam ad historiam Archivi Metropoliae Kioviensis saec. XVIII* (ucrainice) 385

M. TARCHNIŠVILI, *Die hl. Nino, Bekehrerin von Georgien* . . 572

COMT. S. SZEPTYCKA-FREDRO, *Leon XIII et Romain André Septyckyj* 582

Conférence Scientifique de la Societé Scientifique Sexčenko (15-16.IX.1952) 587

(Choulguine A., Cymbalistyj B., Janiv V., Koultchytskyj A., Mytrovyč K., Poliščuk P., Vaskovyč H., Bojko J., Borschak E., Choma I., Hlobenko M., Kentržynskyj B., Mirtschuk I., Polonska-Wasylenko N., Seniutowyč-Bereżnyj W., Welykyj A., Jakemčuk R., Makarenko B., Markus V., Kubijovyč V.)

A. G. W., *Da dietro la « Cortina di silenzio »* . . . 631

A. G. Welykyj OSBM, *Regia Danielis de Halyč coronatio* . . 646

P. Hradiuk, *Quaedam ad historiam Congregationum Marianarum in Ucraina* 649

IV. - BIBLIOGRAFIA:

Recensiones 163-207 393-439, 658

Notae bibliographicae . . . 208, 439, 679

I. ARTICULI

Sac. JOANNES CHOMA

MAXIMILIANUS RYLO EPISCOPUS CHELMENSIS ET PEREMYSLIENSIS

(1759-1793)

1. MAXIMILIANUS RYLO - BASILIANUS

Natus est Maximilianus Rylo in pago Rylowka, prope civitatem Vilno in Lithuania anno 1715 ex stirpe nobili. Stemma eius gentilitium fuit Winiawa.[1] Parentes fuerunt ritus latini,[2] ideoque filium suum in eodem ritu educaverunt. Ob consuetudinem tunc temporis vigentem multi habitum Ordinis Sancti Basilii Magni recipientes ritum latinum byzantino commutabant. Hi decursu temporis facilius poterant assequi superioratus immo supremos gradus hierarchiae. Rylo in monasterium Ordinis Sancti Basilii Magni Vilnae ingressus est. Novitiatu absoluto a Superioribus suis Romam missus est, ut ibi studiis theologicis vacaret[3]. Romae fuit alumnus

[1] Pro insigni defert caput bisontis nigrum cum circulo e naribus pendente in campo flavo. Supra scutum vero in clipeis summitate leo gladium tenens. Cfr. B. PAPROCKI, *Herby Rycerstwa Polskiego*, Krakow 1858, p. 531-535, 860.

[2] « Mater, scripsit M. Rylo in suo Diario, oriunda fuit ex familia Miecznikowsciorum, cuius pater, meus vero acunculus transtulit se ex Palatinatu Poznaniensi, duxit in vitae sociam Nieczajowna ex districtu Mozyrensi; itaque haec ultima rerum linea extinxit in districtu Mozyrensi et Miecznikowsciorum et Ryllorum in praefato districtu nomen. Mater mea sat devota fuit foemina cuius s. orationes forsitan et me ad hanc episcopalem dignitatem extulerunt ». - A. PETRUŠEVYČ, *Cholmskaja eparchia...*, p. 246; In alio loco eiusdem Diarii fratrem suum et sororem eorumque filios commemorat. - IBID., p. 253.

[3] A. DOBRIANSKYJ, *Istoria episkopov trech sojedynenych eparchii: peremyšlskoj, samborskoj, sanotskoj*, Lvov 1893, P. III, p. 55-56. - Cfr. *Schematismus universi cleri dioeceseos Peremysliensis, Samboriensis et Sanocensis pro an. 1904;* J. PELESZ, *Geschichte der Union der Ruthenischen Kirche mit Rom*, Bd. II, Wien 1880, p. 704-5.

Collegii Urbani de Propaganda Fide.[4] Die 17 Septembris 1741 a. Maximilianus noster consueta iuramenta emisit, quorum decursu totius vitae suae memor fuerat.[5]

Anno subsequenti, id est 1742 alumnus Maximilianus Rylo, ut ad sacros ordines subdiaconatus et diaconatus admitteretur, petivit.[6] Permissione obtenta, die 3 Maii 1742 subdiaconus ordinatus fuit, dein die 14 Maii sacrum diaconatus ordinem recepit denique die 22 Septembris, semper eodem anno, sacerdos ordinatus est.[7]

Post suum Roma reditum (1742) Capitulo Ordinis S. Basilii Magni in Dubno celebrato aderat,[8] deinde praedicator in monasterio Vitebscensi fuit, denique Vicarius monasterii Vilnensis extitit.[9]

Die 27 Februarii 1747 a Superiore Provinciae Lithuanae eiusque Consilio Procurator Ordinis S. Basilii M. eiusdem Provinciae Lithuanae electus est sibique commissum officium optime explevit.[10]

Iam mense Aprili eodem anno Maximilianus Rylo Varsaviae uti Procurator Ordinis residebat transmittebatque litteras Nuntii Alberici Archinto (1746-1754)[11] ad diversas personas a Nuntio designatas, uti v. g. litterae electionem Metropolitae spectantes, litterae quibus transmittebatur Breve Apostolicum, quo Archiepiscopo Polocensi Floriano Hrebnyckyj administratio Metropoliae usque ad electionem novi Metropolitae deputata fuit.[12] Deinde litterae, quae accusationem cuiusdam anonimi, Monachi Basiliani, in Episcopum Luceoriensem Sylvestrum Rudnyckyj (1752-1777) considerabant, quod hic librum quendam schismaticum conscripserit.[13]

---

[4] De hoc multoties commemorat suis in epistulis ad S. Congregationem de Prop. Fide. - Cfr. APF, *Scritt. rif. n. Congressi Moscovia, Polonia, Ruteni*, t. 7: ff. 704-5; t. 8: ff. 226, 346, 583, 688; t. 9: ff. 28, 548,684; t. 10: ff. 159; t. 11: ff. 407; t. 12: ff. 588; t. 14: ff. 38v, 600; t. 15: ff. 344; t. 16: ff. 524. - Cfr. ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, t. 34, f. 223; A. Petruševyč, *Litopys* ...,P. II., p. 340; Idem, *Cholmskaja eparchija...*, p. 47.

[5] ACPF, *Registro e memorie degli Alunni del Coll. Urbano*, t. I, p. 339. - Cfr. APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Mosc., Pol., Rut.*, t. 9, f. 684; t. 11, f. 407; t. 14, f. 38v; t. 15, f. 344; t. 16, f. 524; ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, t. 34, f. 223.

[6] APF, *Acta*, t. 112, f. 83v-84, an. 1742, (nr. 2).

[7] ACPF, *Ordinazioni degli Alunni dal 16 Marzo 1726* (vol. unico, non num.).

[8] « Celebre illud Capitulum Ordinis nostri hoc anno 1742 in Dubno absolvebatur, sub finem cuius ego quoque ex Italia cum R. P. Nowosielski superveni ». His verbis incipit Diarium M. Ryllo, cui titulus: « *Narrationes illorum, quae contingerant et ad notitiam meam venerant ab anno 1742 in eparchija...*, p. 246.

[9] Ibid., p. 246.

[10] ASV. *Nunz. Pol.*, t. 363, f. 87v.

[11] L. Pastor, *Storia dei Papi*, vol. XVI, 1, p. 36, 409. Nuntius tunc temporis residebat Dresdae, quia ibi Elector Saxoniae, Federicus Augustus, et una simul Rex Poloniae, commorabatur.

[12] ASV, *Nunz. Pol.*, t. 363, ff. 100, 109, 121, 138, 145. - Cfr. De Martinis, *Ius Pontificium de Propoganda Fide*, P. I, t. III, p. 311.

[13] Ibid., fol. 106, 108.

Die 16 Septembris 1747 a. Maximilianus Rylo litteras de electione Metropolitae Dresdam secum tulit.[14]

Neque haec sola causa erat Dresdam properandi. Dissidentes enim plus quam centum ecclesias ut suas reclamabant. Dresdae faventibus superis Catholicis pax fuerat donata, Dissidentium vero conatus in vanum abierunt.[15] Ibique negotiorum tractandorum dexteritate, Maximilianus Rylo id effecit, ut Augustus III, Poloniae Rex, 1748 a. Archiepiscopum Polocensem Florianum Hrebnyckyj Metropolitam nominavit.[16]

Sede metropolitana vacante, item sedes episcopalis Leopoliensis per tres annos vacavit. Malachowski, Magnus Cancellarius Poloniae, in Episcopum Leopoliensem, Patrem J. Smogorzewskyj, Religiosum Ordinis Sancti Basilii Magni, proponebat.[17] Huic propositioni Maximilianus Rylo, adhuc Procuratoris munere fungens, et nonnulli alii eiusdem Religionis Monachi, constitutionibus Capituli Dubnensis innixi, contrarii fuerunt.[18] Forsan ob has supra indicatas oppositiones Pater J. Smogorzewskyj episcopatum Leopoliensem non obtinuit, attamen Archiepiscopo Floriano Hrebnyckyj in sede archieparchiali Polocensi a. 1762 successit.

Interea Maximiliano Rylo a. 1748 munus Superioris in monasterio Chelmensi commissum erat, quod per octo annos exercuit. [19] Quo tempore, praeter iniunctum monasterii Chelmensis regimen, Sacramenta fidelibus administrare doctrinamque catholicam, pro posse virium, exhibere non praetermittebat.[20]

Anno 1749 die 11 Maii M. Rylo Congregationi Generali Cleri eparchiae Chelmensis in Bilopol praesidebat. [21] In qua querelae cleri dioecesani contra suos decanos motae deiudicabantur.[22] Insuper

---

[14] ASV, *Nunz. Pol.*, t. 363, f. 272. - Cfr. Ibid., fol. 256, 268. 275.

[15] Epistula scripta die 10 Novembris 1753. - APF, *Scritt. rif. n. Congressi Mosc. Pol. Rut.*, t. 7, fol. 704; Cfr. ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, t. 34, fol. 272.

[16] J. Pelesz, *Geschichte der Union...*, II, p. 196; Cfr. A. Petruševyč, *Cholmskaja eparchija..*, p. 246.

[17] ASV, *Nunz. Pol.*, t. 363, fol. 307.

[18] Constitutiones Capituli Dubnensis (1742) Religioso unius Provinciae episcopatum in alia Provincia situm accipere vetant. - ASV, *Nunz. Pol.*, t. 364, ff. 21-22; Cfr. Ibid., t. 363, fol. 301.

[19] N. Popov, *Sudby uniji v russkoj cholmskoj eparchiji*, (in « *PrO* », 1874, I, p. 556); Cfr. J. Pelesz, *Geschichte der Union*, II, p. 703; A. Petruševyč, *Cholmskaja eparchija...*, p. 231 et 229.

[20] APF, *Scritt. rif. n. Congressi Mosc. Pol. Rut.*, t. 7, fol. 704.

[21] Die 4 Maii 1749 M. Rylo « instrumentum pro praesidentia » ab Ep. Fel. Wołodkowycz obtinuit: « Haec igitur instrumenta lecta publice fuere in ecclesia, post vero sessionem sacris indutus vestimentis inchoavi et sacra synodali peracta ceremonia regestra paroeciarum et parochorum lecta fuere et quidem tali ordine... ». - A. Petruševyč, *Cholmskaja eparchija...*, p. 240.

[22] J. Pelesz, *Geschichte der Union...*, II, p. 704 nota: « Damals war die Chelmer Diocese in zehn Decanate eingetheilt, und hatte zwei Dignitäten, nämlich einen Official und einen Judex surrogatus; dann einen Auditor Episcopi und Notarius Instigator; ferner 10 Decane und 285 Pfarrer »; Cfr. A. Petruševyč, *Cholmskaja eparchija...*, p. 240-5.

aliae quoque quaestiones minoris momenti ibidem tractabantur.[23]

Praeterea tempore sui superioratus in monasterio Chelmensi una cum Episcopo Chelmensi, Ph. Wolodkowycz, Unionem contra Polonorum agressiones defendabat, qui, rationibus politicis ducti, prohibitiones Sanctae Sedis [24] circa mutationem ritus « rutheni» in latinum eliminare voluerunt.[25]

Anno 1755 in Capitulo Provinciae S. Trinitatis Ordinis Sancti Basilii Magni, Byteniae celebrato, Rylo quartus consultor electus fuit.[26]

Post nominationem Episcopi Chelmensis Ph. Wolodkowycz ad sedem episcopalem Volodimiriensem, anno 1756 obtentam, [27] Stanislaus Potocki, Palatinus Kioviensis, commorans tunc temporis Krystynopoli, sua apud Augustum III Poloniae Regem intercessione die 15 Novembris a. 1756 nominationem Maximiliano Rylo in episcopum Chelmensem et Belsensem obtinuit.[28] Episcopus Ph. Wolodkowycz tamen suam ad sedem episcopalem Volodimiriensem nominationem, modo non undequaque recto, obtinuit.[29] Unde solummodo post duos annos a nominatione obtenta Roma bullam translationis recepit.[30] Maximilianus vero Rylo mense Februario a. 1759 consecrationem episcopalem in ecclesia Cathedrali Polocensi ex manibus Hrebnyckyj, Metropolitae, obtinuit.[31] Die autem 6 Maii, eodem anno, Episcopus Rylo S. Congregationem de Propaganda Fide de assumpto gubernio eparchiae Chelmensis certiorem reddit.[32] Hoc suum munus pastorale omni tempore maxima cum diligentia atque spiritu apostolico explere conatus est.[33] Ideoque auctores Historiae Ecclesiae Ucrainae eum optimis hierarchis adnumerant.[34] Optimum testimonium de eo relinquit Nuntius Poloniae, J. Garampi.[35]

---

[23] J. PELESZ, *Geschichte der Union...*, II, p. 704; Cfr. N. POPOV, *Sudby uniji...*, (in « *PrO* » 1874, I, p. 558).

[24] Urbani VIII, an. 1624; Clementis XI an. 1744; Benedicti XIV an. 1755; - M. HARASIEWICZ, *Annales Ecclesiae Ruthenae*, p. 365.

[25] N. POPOV, *Sudby uniji...*, Ibid., p. 557; Cfr. *Katolyckyj Vschid*, an. 1905, p. 173; A. PETRUŠEVYČ, *Cholmskaja eparchija...*, p. 234, 256, 258.

[26] APF, *Scritt. rif. n. Congressi Mosc. Pol. Rut.*, t. 8, fol. 226.

[27] Huic nominationi M. Rylo apud Regem Poloniae multum adlaboravit. - A. PETRUŠEVYČ, *Cholmskaja eparchija...*, 231-233.

[28] APF, *Scritt. rif. n. Congressi Mosc. Pol. Rut.*, t. 8, fol. 346; Cfr. A. PETRUŠEVYČ, *Cholmskaja eparchija...*, p. 247.

[29] ASV, *Nunz. Pol.*, Additamenta, t. II, fasc. 5, in fine: « Dal polacco a suo agente »; Cfr. A. PETRUŠEVYČ, *Cholmskaja eparchija...*, p. 273.

[30] J. PELESZ, *Geschichte der Union...*, II, p. 705: « Die Translationsbulle für den Wolodkowicz erst im Jahre 1758 eingetroffen war ».

[31] A. PETRUŠEVYČ, *Cholmskaja eparchija...*, p. 247; Cfr. J. PELESZ, *Geschichte der Union...*, II, p. 705.

[32] APF, *Scritt. rif. n. Congressi Mosc. Pol. Rut.*, t. 8, fol. 583.

[33] A. PETRUŠEVYČ, *Cholmskaja eparchija...*, p. 248-255.

[34] J. PELESZ, *Geschichte der Union...*, II, p. 704: « Maximilian Rylo, welcher den eifrigsten und thätisgten Bischöfen der katholischen Ruthenen zugezählt zu verdient »; Cfr. *Katolyckyj Vschid*, an. 1905, p. 173.

[35] APF, *Scritt. rif. n. Congressi Mosc. Pol. Rut.*, t. 11, fol. 158; IBID.,

2. MAXIMILIANUS RYLO - EPISCOPUS CHELMENSIS

Maximilianus Rylo post susceptam pastoralem eparchiae Chelmensis et Belsensis curam, iam inde a summo initio eandem visitare incepit,[36] quae quidem per terram Chelmensem, Palatinatum Lublinensem et Volynensem ac per Districtum Krasnostaviensem extendebatur. Insuper Palatinatum Belsensem, terram Buscensem et Districtum Lubacensem comprehendebat.[37]

Praeterea in primo anno suae activitatis episcopalis residentiam episcopalem Chelmae renovavit eiusque administrationem ad meliorem statum perduxit. Secundo autem anno 30.000 Guldenos Polonicos pro aedificando Seminario collegit.[38]

Anno 1764 Theophila de Jaruzelski Wilczyna, Comes Subcameraria Derbscensis, propinqua Episcopi Rylo,[39] monasterium Ordinis Sancti Basilii Magni pro octo religiosis, cum obligatione missiones peragendi, in bonis suis haereditariis, Puhinki vocatis, fundare cupiebat. Ecclesiam quoque parochialem, iuris patronatus eiusdem Comitis, eisdem religiosis attribuere statuit. Hanc suam intentionem S. Congregationi de Propaganda Fide die 30 Octobris patefecit, consulto prius Ordinario loci.[40] Anno sequenti, die 30 Aprilis, Episcopus Rylo propter defectum sacerdotum saecularium nec non spectata necessitate missionum, quas Patres Basiliani cum magno animarum fructu exercere solebant, hanc fundationem solemniter approbavit et confirmavit. Et quidem cum omnibus in documento fundationis contentis punctis, conditionibus, clausulis, articulis et obligationibus ecclesiam parochialem Puhinensem una cum cura animarum omnibusque fundis atque redditibus eandem concernentibus, curae et regimini Patrum Basilianorum commisit.[41] Pater Josaphat Siedleckyj, Superior Provincialis Ordinis Sancti Basilii Magni, de consensu Hyppatii Bilinskyj, Protoarchimandritae eiusdem Ordinis, supradictam fundationem cum omnibus expresse indicatis obligationibus, per monachos Basilianos in monasterio Puhinensi habitaturos adimplendis et exequendis, se suis cum fratribus obstrinxit.[42]

---

fol. 168, 186, 188, 231, 354: « Il Vescovo di Chelma, come il migliore della Gerarchia Rutena, uomo disinteressato, esemplare e perito »; Cfr. IBID., fol. 508; ASV, *Nunz. Pol.*, Addatitamenta, t. 11.

[36] A. PETRUŠEVYČ, *Cholmskaja eparchija...*, p. 259.

[37] ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, t. 137, fol. 36-37.

[38] J. PELESZ, *Geschichte der Union...*, II, p. 705; Cfr; A. PETRUŠEVYČ, *Cholmskaja eparchija...*, p. 249, 251, 253.

[39] A. THEINER, *Die neuesten Zustände der katolischen Kirche beider Ritus in Polen und Russland seit Katharine II bis auf unsere Tage*, Augsburg 1841, p. 282: « Die fromme Gräfin Theopila Jaruzelski Wilga verwandte des oben erwähnten Bischofs, der letzte Sprössling dieses ausgezeichneten Geschlechtes, gründete nach dem Tode ihres Gemahls Kloster ».

[40] ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, t. 137, fol. 50.

[41] ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, t. 137, fol. 55-56.

[42] IBID., fol. 55.

Eodem fere tempore (1764) et simili modo peragebatur fundatio monasteri Ordinis Sancti Basilii Magni in oppido Krystynopol, a Comite Francisco Salesio Potocki pro quinque missionariis dotata.[43]

Insuper eodem anno Episcopus M. Rylo cum aliis Episcopis Ucrainis et Alboruthenis Varsaviam profectus est ibique Comitiis electionis coronationisque regis Stanislai Augusti Poniatowski aderat. Initio ipse fuit fautor regis multumque eius in regem electioni una cum Principe Jablonski, Palatino Novogrodensi, adlaboravit, postea tamen fuit regi contrarius.[44] Denique, post Confoederationis Barensis cladem, an. 1769, iterum fuit fautor regis, a quo die 24 Junii 1778 stellam S. Stanislai recepit.[45]

Episcopi tam Ucraini quam Alborutheni Varsaviae commorantes, apud modo coronatum regem curarunt, ut ipsi in senatum una cum Episcopis Polonis admitterentur, sed nihil effecerunt. Nec pro, nec contra resolutionem aliquam a rege receperunt.[46]

Redux Varsavia, mense Ianuario a. 1765, Episcopus Rylo visitationem suae eparchiae continuabat, quam a. 1767 terminavit.[47]

Notare adhuc nobis manet, Episcopum Rylo magnum veneratorem reliquiarum tunc beati Iosaphat fuisse.[48]

II. Franciscus Salesius Potocki, Palatinus Kioviensis ac Poloniae Senator, in suis amplissimis bonis Palatinatus tam Kioviensis, quam Braclaviensis, a. 1760 centum ecclesias parochiales pro Ucrainis Catholicis a fundamentis extruxit, cuique earum parocho peculiaria bona addixit, privilegia et immunitates concessit dotemque iuxta morem regionis assignavit.[49] His rite peractis idem Co-

---

[43] Cfr. V. Černeckyj, *Litopys monastyrja Otciv Vasylijan v Krystynopoli vid jeho osnovanja 1763 do 1890 r.*, Lviv 1894, p. 5-13.

[44] J. Pelesz, *Geschichte der Union...*, II, p. 707: « Der Eifer für die Union war dem Bischof Rylo auch beim polnischen Könige Stanislaw Poniatowski, als einem Günstling der Czarin, übel vermerkt, und obwohl Rylo zur Wahl dieses Königs beigetragen hat, und ein bekannter Anhänger des Königs war, so erhielt er doch in Folge wiederholter Anklagen der Schismatiker vom König Poniatowski ein Schreiben (ddto Warshau, 19 Februar 1766), worin ihm über die zwangsweise Bekehrung der Schismatiker zur Union Vorwürfe gemacht werden, und im gleichen Sinne hat an ihn auch der Kronkanzler Andreas Zamoyski untern 9 Februar 1766 geschrieben. Der Bischof bemerkt zu diesen beiden Schreiben, die er in seinem Tagebuche wörtlich anführt: Liceat ex his epistolis inferre, quam multum syzmaticorum audacia machinantur contra Unitos, quam multum favet saltem quoad oculum regimen modernum nostrae reipublicae; utinam fidei sanctae tanta supervenirent incrementa, quantae nunc numerantur persecutiones... ». Dieses Schreiben des Königs hat den Bischof verstimmt, und veranlasste seinen Beitritt zur Konföderation von Bar, und eine gänzliche Zurückziehung von dem Könige, so dass er nicht einmal die ihm vom Könige angebotenen Gnadenbezeugungen annehmen wollte ». Cfr. A. Petbuševyč, *Cholmskaja eparchija...*, p. 265.

[45] Cfr. Ibid., p. 276-278.

[46] *Archeologičeskij Sbornik*, t. X, p. 346.

[47] APF, *Scritt. rif. n. Congressi Mosc. Pol. Rut.*, t. 9, fol. 684.

[48] A. Petruševyč, *Cholmskaja eparchija...*, p. 1.

[49] ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, t. 89, fol. 338.

mes Potocki ad Ordinarium Kioviensem, Metropolitam Philippum Wolodkowycz recurrit, ut Metropolita ecclesias parochiales canonice erigeret, quas ipse construxerat copioseque dotaverat.

Metropolita autem variis ductus rationibus supradictas fundationes approbationem minime mereri censuit, praecipue ob insufficientiam dotis pro fundationibus assignatae.[50]

Verum est, fundatores non semper dotes sufficientes parochis assignavisse. Quare S. Congregatio de Propaganda Fide suis in instructionibus Nuntiis Poloniae datis commendabat, ut bene hac super re vigilarent.[51]

Etsi dotes pro fundationibus a Comite Potocki assignatae erant sufficientes, attamen ipse nonnullas alias libertates et privilegia eisdem superaddit.[52] Restitit adhuc dictis fundationibus praefatus Metropolita. Comes autem Potocki huius dissensionis aliam causam non vidit, nisi erga se male affectum animum.[53]

Interea acta fundationum ad S. C. Concilii pervenerunt. Praefectus autem huius Congregationis, Cardinalis de Rubeis (Rossi), die 30 Augusti 1760 ad Nuntium Poloniae Visconti de hac re scripsit, ut ipse super expositis S. Congregationem distincte « reddet instructam, animique sui aperiens sententiam, preces ipsas remittat ».[54] Similes informationes eodem tempore S. C. Concili ab Ordinario loci, id est Metropolita Ph. Wolodkowycz exquisivit.[55]

Nuntius Visconti mandatis S. C. Concilii obsequens, antequam suum responsum dederit, caute procedens Metropolitam latinum Leopoliensem exquisivit, ut dotem, agros, fundos, privilegia, et libertates parochis per Comitem Potocki assignatas diligenter examinaret, Qui Nuntio Visconti suam patefecit sententiam, scribens: « Iudico et existimo posse et debere institui et ordinare Presbyteros ad supra expressas Ecclesias ».[56]

Vix Nuntius Visconti litteras recepit, mox eas (22-VI-1761) Romam una cum tribus fundationum exemplaribus misit sententiam S. Congregationi Concilii pandens, a fundatoribus ecclesiis sufficienter provisum esse et aliunde necessarium omnino adesse, ut quam citius parochi constituentur in regionibus illis, utpote Dissidentium ibi degentium erroribus obnoxii.[57]

Satis hoc erat ad erectionem ecclesiarum parochialium rite decernendam. Attamen S. C. Concilii, quae cuncta solet exacte perpendere et aeque rationes unius, quam alterius partis scrutari, expectandum censuit, quid hac de re Metropolita Wolodkowycz scri-

---

[50] Ibid., fol. 339-340.
[51] ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, t. 68, fol. 19-20; Cfr. ASV, *Fondo Garampi*, t. 72, p. 304 (11-II-1774).
[52] ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, t. 89, fol. 346 (30-V-1765).
[53] Ibid., fol. 346.
[54] Ibid., fol. 316.
[55] Ibid., fol. 282.
[56] Ibid., fol. 282v.
[57] Ibid., t. 89, fol. 283.

beret. Diu igitur multumque eius responsio expectata fuit, et adhuc diutius expectaretur nisi novae supervenissent litterae Nuntii Visconti ad suum in Urbe agentem conscriptae et S. C. Concilii ostendendae, in quibus inter alia significat. « ...che il ritardo dell'Affare apporta non lieve danno all'anime dei fedeli prive de Pastori».[58]

S. C. Concilii rem omnem pro comperta habens simulque intelligens cunctantionem quamlibet damnum animabus causare, Nuntio Visconti die 22 Maii 1762 rescripsit, ut auctoritate ipsius Sacrae Congregationis ad erectionem et provisionem parochiarum pervenire curet. Singulas erigendo parochias, ad formam exemplorum, diligenter examinare ne omittat, tum sufficientiam omnium fundorum pro eadem fundatione assignatorum, tum eorundem securitatem et a fidei commissis ceterisque vinculis immunitatem, caveatque tamen ne ullum inferatur praeiudicium parochis finitimis.[59]

Non poterit Nuntius Visconti propter loci distantiam per seipsum huiusmodi rescriptum exequi, propterea executionem Maximiliano Rylo, episcopo Chelmensi, die 30 Augusti 1762 demandavit. Ut M. Rylo peracto diligenti examine quoad sufficientiam dotum eorumque securitatem ac immunitatem a quibuscumque oneribus, nec non a Comite Potocki in scriptis, in forma meliori qua fieri potest, obtenta declaratione, quod privilegia eiusmodi fundationum inviolabiliter servabuntur, nec ullae iniuriae aut gravamina per administratores bonorum inferentur, eosdem fundos respectivarum ecclesiarum cum suis specificis denominationibus, locis et limitibus descriptos ad perpetuam rei memoriam distinguere curare. Quibus factis ad erectionem eiusmodi parochiarum et ecclesiarum ac provisionem earundem personis, praevio examine, habilibus et idoneis nullumque impedimentum canonicum habentibus auctoritate Sacrae Congregationis Concilii dictas ecclesias provideat, eisdem curam animarum et rerum temporalium regimen committat. Caetera omnia et singula ad normam sacrorum canonum et rituum Ecclesiae Orientalis peragat, ordinet et instituat.[60] De hac delegatione S. C. Concilii certior facta est.[61]

Episcopus autem Rylo mox post receptam a Nuntio Visconti plenipotentiam circa canonicam parochiarum erectionem, mense Junio a. 1763, in Ucrainam Orientalem profectus est,[62] ibique circiter tres menses permansit, ac circa quinquaginta ecclesias parochiales erexit.[63] Tribus in commissione exactis mensibus, illis regionibus

---

[58] Ad Sigismondo Sisti, Ibid., fol. 283.

[59] Ibid., fol. 324; Cfr. foll. 283, 332v, 361.

[60] *Archiv Jugo-Zapadnoj Rossiji izdavajemyj vremennoju Komisijeju dla razbora drevnych aktov*, Kiev 1871, P. I, vol. IV, p. 585-6; Cfr. A. Petruševyč, *Cholmskaja eparchija...*, p. 260-1.

[61] APF, *Scritt. rif. n. Congressi Mosc. Pol. Rut.*, t. 9, fol. 345; Cfr. A. Petruševyč, *Cholmskaja eparchija...*, p. 261.

[62] ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, t. 89, fol. 343; Cfr. A. Petruševyč, *op. cit.*, p. 261.

[63] J. Pelesz, *Geschichte der Union...*, II, p. 530; A. Petruševyč, *op. cit.*, p. 261; ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, t. 89, fol. 343.

non asuefactus, non modo ipse, verum etiam eius domestici morbum contraxerunt, propterea eandem commissionem ad aliud commodius tempus limitare coactus fuerat. Eadem debilitas et serpens morbus tempore commissionis contractus impedivit Episcopum Rylo, Volodimiriae, in Congressu a Metropolita convocato, a. 1766 comparere, qua quidem absentia Metropolita indignatus fuit.[64]

Post Episcopi Rylo ex Ucraina abscessum, pars adversa, alias Metropolitana, parochos ad novoerectas ecclesias institutos opprimere ac persequi cepit.[65] Ipse Metropolita Wolodkowycz dictis erectionibus contrarius remansit, sub praetextu insufficientiae dotis,[66] etsi ipse minori cum dote similes parochias erigebat. Quare novos parochos mulctabat, alios violenter deiecit, nonnullos ab exercitio curae pastoralis, non sine acatholicorum scandalo, suspendit. Hac de causa Palatinus Potocki de Metropolita apud S. C. Concilii conquestus est,[67] dum e contra Metropolita eidem Congregationi detulit, Episcopum Rylo commissae executionis fines excessisse, dum complures in praedictis villis ex habitantibus ad Sacros Ordines promovit, alios Sacramento Matrimonii coniunxit atque omnimodae iurisdictionis exercitium in illis regionibus sibi arrogavit.[68] Cardinalis De Rubeis (Rossi) die 22 Martii a. 1766 ad Nuntium Visconti scribebat, ut nomine ac auctoritate eiusdem S. Congregationis Metropolitae Wolodkowycz inhiberet, ne pendente hac lite directe aut indirecte parochiarum erectioni praeiudicium inferatur, vel novi parochi ab exercitio curae animarum quomodolibet impediantur. Aeque vero Episcopo Chelmensi, Maximiliano Rylo inhibuit, ut ab omni perturbatione iuris Metropolitani desisteret.[69] Cum Maximilianus Rylo notitiam de hac accusatione recepisset, Nuntio Visconti respondit, hanc accusationem nullo veritatis fundamento inniti, nam ipse, imposito fine praecommissis erectionibus, nullam amplius vel in minimo negotio iurisdictionem usurpare praesumpserat.[70]

Interea Episcopus Rylo continuabat opus suum et denique a.1766 ad felicem perduxit finem.[71] Hanc notitiam Nuntius Visconti S. C. Concilii die 26 Martii a. 1766 communicavit.[72]

Cum tota haec quaestio de fundatione parochiarum iam quasi finita erat, Metropolita a Nuntio Visconti postulabat, ut ei super novis parochis iurisdictio restitueretur, insuper promisit omnem

---

[64] Ibid., fol. 343.

[65] Ita scripserunt novi parochi Nuntio Visconti die 28 Iunii 1764; Ibid., f. 345.

[66] Ibid., fol. 284v.

[67] Ibid., fol. 283v; Cfr. fol. 361v, 346, 123; *Nunz. Pol.*, t. 388, fasc. N., p. 461, 76.

[68] Ibid., fol. 361v; Cfr. fol. 356, 362.

[69] Ibid., fol. 364 (22-III-1766).

[70] Ibid., fol. 368-369.

[71] Ibid., fol. 357 (3-III-1766); Cfr. APF, *Scritt. rif. n. Congressi Mosc. Pol. Rut.*, t. 9, fol. 548; *Lettere*, t. 208, fol. 142v-143.

[72] ASV, *Nunz. Pol.*, t. 389, fasc. 5.

adhibere curam, ut dictae fundationes ad mentem S. C. Conclii integrae servarentur, ipsis earumque parochis iura concessa inviolate manerent. Unicum a Nuntio Visconti petebat, ut de eius mandato Episcopus Rylo librum numerum Ordinationum continentem, Decreta erectionum tum etiam reliqua illas ecclesias et eorum Pastores respicientia acta et scripturas, integre ad eum transmitteret.[73] Hanc voluntatem Metropolitae Nuntius Visconti Episcopo Rylo sua in epistula, die 18 Septembris a. 1766, patefecit,[74] cui M. Rylo consensit.[75] Totum hoc molestum opus non obstantibus longitudine itineris, expensis, periculis, nec non aliis incommodis Episcopus Rylo feliciter terminavit.

Redux ex Ucraina Orientali iterum curam suae eparchiae suscepit.

Anno 1770, die 25 Augusti, ieiunium per triduum cum processionibus, ut pestis amoveatur, suis fidelibus pracepit.[76]

Die 15 Februarii a. 1772, Episcopus Rylo funeralibus Annae Potocki, uxoris Palatini Salesii Potocki, Krystynopoli, partecipavit.[77]

Die 26 Maii a. 1772 M. Rylo in Congressum eparchialem Krystynopolim venit. In hoc Congressu duo parochi ex consensu Episcopi puniti sunt. Post tres dies Chelman rediit.[78]

III. Prima missio Episcopi Rylo in Ucrainam Orientalem, annis 1763-1766, pro fine erectionem ecclesiarum parochiarumque habuit. Durante sua commoratione scientiam harum regionum acquisivit, quae suum videtur in Nuntium Garampi habuisse influxum, ut ipse secunda vice Maximilianum Rylo in Ucrainam mitteret. Hac vice missio Episcopi Rylo uti finem visitationem supradictarum palatinatuum habuit, quorum tam sacerdotes, quam fideles ultimis annis haud paucas debebant persecutiones pati et hoc tum ab Ucrainis dissidentibus, tum vero a Gubernio Moscovitico, quod tunc temporis suum in Ucraina magis magisque roborabat dominium.

Deputationi Episcopi Rylo ad visitationem peragendam ambo Coadiutores Metropolitani contrarii erant, quia offensos sese reputabant ex eo quod Nuntius Garampi eos praetermisit. Unde cum querelis ad Regem Poloniae se direxerunt,[79] qui mense Martio 1773 visitationem prohibuit.[80] Nuntius tamen suos continuabat conatus, ut unus Episcoporum Ucrainorum in Ucrainam Orientalem ad peragendam visitationem mitteretur, quos quidem conatus multum S. Congregatio de Propaganda Fide laudavit.[81]

Ignatius Rossetti, Rector Collegii Pontificii Leopoli, sua in epi-

---

[73] ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, t. 89, fol. 129v (Aug. 1766).
[74] ASV, *Nunz. Pol.*, t. 388, fasc. 4.
[75] ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, t. 70, fol. 137.
[76] V. Černeckyj, *op. cit.*, p. 17.
[77] Ibid., p. 22.
[78] Ibid., p. 33.
[79] J. Pelesz, *op. cit.*, II, p. 538.
[80] M. Harasiewicz, *op. cit.*, p. 512.
[81] ASV, *Nunz. Pol.*, t. 307, fol. 27.

stula ad Nuntium Garampi Episcopum Rylo visitatorem pronebat.[82]

Nuntius Garampi variis rationibus persuasus die 5 Augusti anno 1773, in sua ad Episcopum Rylo epistula, proprias quoad visitationem eidem intentiones patefecit.[83].

Hanc deputationem ad visitationem in Ucraina peragendam Episcopus Rylo cum spiritu vere apostolico recepit, memor semper illius solemnis voti, quod olim in Collegio de Propaganda Fide emiserat.[84] Quae animi dispositio gaudio Nuntio Garampi fuit.[85]

Antequam Ucrainam proficisceretur, ab Episcopo Leopoliensi Szeptyckyj decretum petivit, quo ei iurisdictio per tempus visitationis his in regionibus traderetur.[86]

Die 12 Novembris ad Nuntium scribebat se iam paratum esse ad iter suscipiendum. Garampi autem Episcopum Rylo sine ulla referentia ad Metropolitam, vel ad eius Coadiutorem Episcopum Szeptyckyj, in Ucrainam cum plena iurisdictione expedire intendebat. Tamen reflexionibus Maximiliani Rylo inductus, decretum compromissoriale promulgavit, quo Leo Szeptyckyj in iurisdictionem introducebatur. Consequenter Episcopus Rylo non aliter in Ucrainam abscedere resolutus fuerat, nisi iurisdictione a Szeptyckyj obtenta.[87]

Die autem 18 Novembris a. 1773 Nuntius Garampi Episcopo Chelmensi literas misit, quae pro clero palatinatuum Kioviensis et Braclaviensis destinatae erant, quibus Nuntius clerum supradictorum palatinatuum certiorem reddit, ad normas concordiae inter Metropolitam eiusque Coadiutores initae et a Romano Pontifice approbatae, curam et regimen horum palatinatuum ad Episcopum Leopoliensem Leonem Szeptyckyj spectare, cum plena, libera atque independenti administratione spirituali. Szeptyckyj vero ob necessitates eparchiae Leopoliensis, ecclesias parochiales dictorum palatinatuum in dies sollicitudine egentes personaliter visitare eisque per seipsum opem ferre non potest. Ne christifideles auxilio destituerentur Episcopum Rylo in partem suae sollicitudinis pastoralis advocare eumque in Delegatum suum, ad tempus bene visum, per eosdem palatinatus Kioviensem nempe et Braclaviensem

---

[82] ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, t. 98, fol. 74: «Monsignor Ryllo Vescovo di Chelma è quegli, cui nella scelta da farsi di quello... do la preferenza. La Diocesi sua piccola, e ben ordinata non sentirebbe danno dalla di lui assenza. Coll'esemplare sua pietà e modestia edificarebbe egli quei popoli, coll'ardente suo zelo animarebbe quello di Monsignor Coadiutore... La difficoltà consiste in provveder quegli del necessario, la povertà sua non permettendo al medesimo d'intraprender il viaggio a spese sue. Il mantenimento suo in quelle parti in tempo del soggiorno suo potrebbe cavare dai beni della Metropolia»; Cfr. *Nunz. Pol.*, t. 289, fol. 168.

[83] Ibid., t. 288, fol. 187v-189 (5-VIII-1773); Cfr. *Fondo Garampi*, t. 289, fol. 6.

[84] ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, t. 91, fol. 291 (8-X-1773).

[85] ASV, *Nunz. Pol.*, t. 290, fol. 57 (Garampi ad M. Rylo, 14-X-1773).

[86] ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, t. 91, fol. 269 (9-XI-1773).

[87] ASV, *Nunz. Pol.*, Additamenta, t. 11, in medio voluminis. Has facultates per sex integros menses obtinebat (XI-1773-V. 1774); Ibid., *Arch. Nunz. Vars.*, t. 34, fol. 237; Cfr. *Nunz. Pol.*, t. 290, fol. 172 (18-XI-1773).

instituere et deputare constituit, prout revera instituit et deputavit. Quam quidem delegationem et deputationem Nuntius Garampi non solum approbare et confirmare, sed etiam laudare summopere intendens, auctoritate, qua vigore Legationis suae fungebatur eidem Episcopo Chelmensi M. Rylo facultates etiam Visitatoris Apostolici quoad Decanatus et Ecclesias in memoratis Palatinatibus Kijoviensi et Braclaviensi existentes addidit, ut ipse pro eo quo flagrat zelo indigentiis, et necessitatibus universis, tam memoratarum ecclesiarum, quam Christi fidelium provideat, eaque omnia, quae in Domino necessaria et opportuna iudicaverit pro incremento gloriae Dei et animarum salute, salvis iuribus Episcopi Leopoliensis, peragat, provideat, et statuat. Insuper omnibus et singulis, tam spiritualibus, quam saecularibus personis, in dictis Decanatibus et Ecclesiis existentibus sub poena excommunicationis, suspensionis etiam a Divinis, et a Beneficiis, quoad spirituales ipso facto incurrendae, mandavit ut Episcopum Rylo nedum pro Delegato ab Episcopo Leopoliensi, verum etiam pro Visitatore Apostolico a semetipso specialiter deputato recognoscerent, reciperent, eique omnes honorem, reverentiam et obsequium debitum praestarent et exhiberent ac in omnibus praeceptis et mandatis illius obedirent, atque ab aliis etiam exhibere et obediri curarent.[88]

In epistula ad M. Rylo eodem die scripta Nuntius Garampi praeter facultates supra concessas alias adiunxit, ut durante visitatione iisdemmet facultatibus erga populos dictorum palatinatum uti posset et valeret, quibus ex gratia Sedis Apostolicae utitur ac fruitur in dioecesi sua Chelmensi. Praeterea, ut quoscumque ad eum recurrentes, qui homicidium etiam voluntarium, sacrilegium, simoniam et periurii reatum quomodocumque commiserint quique bellis interfuerint, qui manus violentas in clericos et presbyteros / non tamen in episcopos aut superiores praelatos vel in favorem haeresis et haereticorum / iniecerint, absolvere posset.[89]

Ita Episcopus Rylo omnibus necessariis facultatibus munitus fuit. Unde suo fundamento caret accusatio Metropolitae apud Nuntium Garampi facta, quod Episcopus Rylo proprio marte ante aliquot menses, relicta sua eparchia, in Ucrainam se contulit, ibique sine licentia Metropolitae Sacra peragit.[90]

Die 15 Decembris a. 1773 Episcopus Rylo iam sat longum perfecit iter, nempe ad Sarhorod, molestiis haud paucis itineris superatis.[91]

---

[88] ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, t. 91, fol. 218 (18-XI-1773).

[89] ASV, *Nunz. Pol.*, t. 290, fol. 170: « Vada pur dunque felice, scribebat Nuntius Apostolicus, e Dio benedica un viaggio, che non ha per oggetto, che il bene dell'anime e la riordinazione di una diocesi nelle circostanze dei tempi correnti si sconcertata e sconvolta mentre io sarò, intanto, un fedele testimonio del di Lei zelo presso il Santo Padre e la Sacra Congregazione ».

[90] ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, t. 92, fol. 16.

[91] ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, t. 137, f. 73: « ...Molestissimum quoque

Canonicam suam visitationem per litteras decanis nuntiabat, eamque se ex deputatione Leonis Szeptyckyj perficere significabat, et ad solitam praeparationem alliciebat. Pariter certiores eos reddebat, quod unice tantum animarum salutem curans hanc visitationem susceperat et ideo ab hanc visitationem concomitantibus oneribus sacerdotes liberavit.[92]

Etsi difficilis, tamen salutaris haec visitatio fuit, quod quidem iam ex paginis «*Itineraii Ucrainensis*»[93] apparet. Has enim regiones Episcopi raro visitabant.[94]

Quot et quales persecutiones Ucraini catholici tam sacerdotes, quam fideles passi sunt Episcopus Rylo suis in epistulis ad Nuntium Garampi describebat. Rylo cum in oppidum Uman pervenisset, tunc turmatim ad eum sacerdotes accurrebant, partim illi, qui carceres in oppido Berdyčiv sustinuerunt, partim illi, qui fuga aut magna pecuniae solutione facta vincula evaserunt, omnes autem solatia et adiutorium ab Episcopo implorabant. Ibi enim dissidentes quasi nidum posuerunt, multimodis poenis Ucrainos catholicos affligebant, potente protectione Moscovitarum adiuti.[95] Quoniam persecutio non cessabat[96] Episcopus Rylo ad Nuntium scripsit, ut aliquis praelatus Petropolim cum reclamationibus mitteretur, clementiam implorans; idem per Ministrum Austriacum Petropoli obtineri posse, Rylo sperabat.[97]

Interea a. 1774 persecutio catholicorum non cessabat immo in dies crescebat. Vix ullus dies sine violentia qualibet contingebat. Sacerdotes sub oculis Rylo misere captivabantur, compedibus one-

---

id mihi accidit, quod in Confiniis consistendo variis notitiis de ulteriori itinere sum terrefactus; aliqui sunt huius sensus, mihi non fore commoditatem in Ukrainam penetrandi, sine expresso Illustrissimi Romansov Felt-Mareschalci Russorum mandato, dum tamen nihil veri in his relationibus adinveneram, misi ad R. Dominos Officiales in Ukrainensi Tractu existentes, pro captando consilio». Cfr. ASV, *Nunz. Pol.*, t. 290, fol. 369.

[92] ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, t. 92, fol. 215 (12-XII-1773).

[93] Auctor huius «*Itinerarii*» fuit Secretarius Ep. M. Rylo, sacerdos M. Grabowiecki.

[94] ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, t. 32, fol. 158, fol. 161v, 164; Cfr. *Nunz. Pol.*, t. 293, fol. 78; *Fondo Garampi*, t. 72, fol. 304 (17-II-1774).

[95] ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, t. 34, fol. 11: «Forstitan coactus ero, scribebat M. Rylo, ne causa adventus mei communi clade involvantur omnes inquilini catholici, ex hisce partibus recedere, et in illis subsistere, ubi non cum tanta audacia effrenata Schismatis perdurant ostinati, tractum Humanensem Providentiae Divinae committendo». - Cfr. APF, *Scritt. rif. n. Congressi Mosc. Pol. Rut.*, t. 11-1-559; A. Petruševyč, *op. cit.*, p. 261.

[96] APF, *Scritt. rif. n. Congr. Moscovia Pol. Rut.*, t. 11, fol. 563, 585; ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, t. 12, fol. 155, 164.

[97] ASV, *Arch. Nunz., Vars.*, t. 34, fol. 11v. Nuntius vero dubitabat an hoc modo aliquid obtineri possit. «Ma in qual modo un tal Messo o deputato potrà pervenire in quei dominii, se a niun Polacco è permesso di uscir dal Regno e andare a Pietroburgo, se non espone preventivamente a questa Corte i motivi, e non ne ottiene una espressa licenza. Quando anche ivi si arrivi, non è permesso a veruno, e nemmeno agli ambasciatori e Ministri Cortevi di parlare di affari colla Sovrana, ma deve dirigersi... ai Ministri». - Cfr. ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, t. 34, fol. 125.

rabantur, aliqui pretio pecuniae libertatem consequi debebant, alii tanquam latrones tractabantur, nonnulli flagris afficiebantur hac sola de causa, quod constanter in Sancta Unione permanentes alienam iurisdictionem agnoscere recusabant.[98]

Tota dissidentium malitia contra Episcopum Rylo ibi degentem convertebatur, ita ut ei periculum vitae aut expulsio ex istis regionibus aut saltem incarceratio imminebat.[99]

Mense Ianuario a. 1774 ad Nuntium Garampi pervenit notitia de morte Episcopi Rylo,[100] quae quidem erat falsa.[101]

Nuntius Garampi notitiis de statu Ecclesiae Ucrainae receptis, praesertim de variis persecutionibus,[102] in sua ad Praefectum S. Congregationis de Propaganda Fide, Cardinalem Castelli, relatione eas descripsit.[103]

Quattuor menses Episcopus Rylo in Palatinatu Braclaviensi commorabat; omnesque decanatus ibi visitavit. Tamen memor reflexionum Nuntii Garampi multoties scriptarum, quatenus tutiora inquirat loca, in palatinatum Kioviensem se contulit et quidem ad monasterium PP. Carmelitarum Discalceatorum in oppido Berdyčiv situm. Nihilominus quasi certus erat, nec ibi sibi securum invenire locum, siquidem Generalis Szyrkow, dissidentes prote-

---

[98] ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, t. 34, fol. 37; Cfr. APF, *Scritt. rif. n. Congressi Mosc. Pol. Rut.*, t. 11, fol. 560v.

[99] APF, *Scritt. rif. n. Congressi Mosc. Pol. Rut.*, t. 11, fol. 559v.

[100] ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, *t.* 32, fol. 198v. Palatinus Cracoviensis, Rzewuski, in « obitum ». Ep. M. Rylo scripsit iam odam « Pulchro rubentem sanguine Praesulem... ».

[101] ASV, *Nunz. Pol.*, t. 293, fol. 193-195v (10-II-1774).

[102] ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, vol. 32, fol. 155-215.

[103] « Passo ora a parlare delle cose di Ukraina. La tregua fattaci sperare dal Maresciallo Romanzow, è stata bene di scarsa durata; giacchè nuove chiese sono state invase nel mese scorso (Ianuario); quindici e forse più preti sono stati arrestati, condotti a Bialocerkew, e messi ivi ne' ceppi e in squallido carcere; molti altri, che sentendo l'arrivo in quelle parti di Mgr. Vescovo di Kelma, accorrevano per riconciliarsi ed uscir dall'Apostasia, sono stati battuti, e in varie guise afflitti: lo stesso Prelato, trovasi circondato d'insidie e soggetto a gravi pericoli sicchè non potendo proseguire pienamente la sua Visita secondo il corso che avea destinato di prendere, va fuggiasco ora in uno, ora in altro luogo, dove meno pericoloso conosce il soggiorno e dove insieme trovisi più a portata di consolare gli afflitti Popoli e Preti, che rimangono tuttavia attaccati o apertamente o nascostamente alla S. Unione. Ammiro il coraggioso zelo di questo degnissimo Prelato, il quale non ha veruna difficoltà di ponere anima pro ovibus, e di fare tutto questo lungo e disastroso viaggio senza congrui sussidii temporali (essendo poverissimo, e poco o nulla potendo forse sperare da Mgr. Szeptycki) procacciandosi gli alloggi e le spese nei luoghi dove trova Benefattori... non solo è un Prelato fornito delle più lodevoli qualità, ma anche fra tutti i Ruteni è, per cosi dire, il solo che esiga un sincero amore, e una somma stima da tutti i Latini ». APF, *Scritt. rif. nei Congressi Mosc. Pol. Rut.*, t. 11, f. 522v-523, 26-II-1774; Cfr. Ibid. f. 419. Card. Castelli die 23 Aprilis Nuntio scribebat: « Non posso che consolarmi, e lodare il vivo e costante zelo, con cui si adopera Mgr. Vescovo di Chelma per sostenere la S. Unione in mezzo a tanti incommodi, e pericoli ai quali è continuamente esposto ». ASV, *Nunz. Pol.*, t. 397, f. 112.

gens, captivitatem Episcopo Rylo minabatur, prouti cum eo Leo Szeptyckyj communicavit, copias litterarum a Generali scriptarum transmittens, in quibus idem Generalis non solum captivitatem promiserat, sed etiam Episcopum Rylo iudicare intendebat.[104]

Circa diem 20 Martii a. 1774 M. Rylo Berdyčoviam ad conventum Carmelitarum venit.[105]

Die 2 Aprilis, eodem anno, in hoc monastero Officialis Kioviensis M. Prymovyč Episcopum Rylo visitavit, quem cum parvo comitatu exhaustum summopere et provisione indigentem invenit.[106]

Die autem 6 Aprilis ad hoc monasterium Ossolinski, Episcopus Kioviensis ritus latini, venit. In suo colloquio cum Episcopo Rylo dixit, se paulo antea ter fuisse a Moschoviticis agressum; hi enim putabant eum esse Episcopum Rylo, sed edocti eum non Chelmensem sed Kioviensem Antistitem esse, liberum dimiserunt.[107]

Die autem 17 Aprilis horis matutinis ad monasterium venit Ioannes Berdyn locumtenens militiae pedestris, ex legione in oppido Bilacerkov manente, cum triginta militibus et dispositionem Generalis Szyrkow Episcopo Rylo perlegit: « insequi Illum Antistitem et in eodem loco, in quo offenderet, detinere ».[108] Milites vigilias facientes nonnullas inconvenientias in monasterio vel accedentibus ad ecclesiam commiserant; ideo Episcopus Rylo de his edoctus, locumtenenti Berdyn suasit, quatenus milites mitius ac honestius se gerant et eidem sponsionem verbaliter dedit de non arripienda fuga. Contigit in tractu huius detentionis tam arcte portas huius monasterii custoditas fuisse, ut nulli recedere liceret, etiam maxima urgente necessitate, prout una die negotio pressus Prior Monasterii exire intendens vicinum pagum, quod, quia erat ante ortum solis, prohibitum erat ipsi recedere, et clare ac distincte rationem apposuit Commendans, ne Episcopus exiret.[109]

---

[104] ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, t. 34, fol. 70.

[105] Ibid., fol. 67.

[106] Ibid., fol. 82.

[107] Ibid., t. 32, flo. 185; Ibid., t. 34, fol. 130v. Adhuc die 16 Aprilis 1774 M. Prymovyč scribebat ad Nuntium Garampi: « Nuper videlicet die 14 currentis Administrator Bonorum Mensae Meropolitanae Dydow tum Commendans Ecclesiae Dydoviensis fecit me notum per Emissarium suum consciente ad me expeditum, quod una cohors militum Moschoviticorum expedita sit de Bialacerkiew pro Reverendissimo Illustrissimo Antistite Chelmensi, altera pro me ad Bialacerkiew obligando ». - Ibid., fol. 108. Nonnulli auctores, diem precisum incarcerationis indicabant: J. Pelesz, *op. cit.*, II, p. 707, diem 17 Februarii; W. Chotkowski, *Historya polityczna kościoła katolickiego w Galicyi za rządów Maryi Teresy*, t. I, p. 145, diem 3 Maii, in tomo autem II eiusdem operis (p. 107) - diem 17 Februarii. Documenta tamen contemporanea, supra citata, diem 17 Aprilis indicant.

[108] ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, t. 34, fol. 112. « Quare congratulabatur Illustrissimum quod in tam honesto loco permanebit (in monasterio Carmelitarum Berdyčoviae) alias etiam in diversorio publico deberet hanc captivitatem subire, donec alia pervenit dispositio ». Ibid., t. 32, fol. 216.

[109] Ibid., t. 34, fol. 112v et fol. 219v.

Insuper locumtenens Berdyn bis quotidie cubiculum Episcopi Rylo solebat perlustrare. [110]

Cum haec notitia de detentione Rylo ad Nuntium Garampi die 3 Maii pervenisset, ipse die sequenti eam magno cum dolore S. Congregationi de Propaganda Fide sua in epistula communicavit.[111] Paulo autem postea suis intercessionibus tam apud Regem Poloniae, quam apud Ministros libertatem pro Episcopo Rylo obtinere conabatur.[112]

Minister Catharinae II apud Regem Poloniae, Bar. Stackelberg, litteras a magno Cancellario Poloniae Mlodziejowski, die 5 Maii scriptas, recepit, quibus magnus Cancellarius certiorem reddebat se notitiam de incarceratione Episcopi Rylo recepisse.[113]

Similem epistulam idem Minister, die 3 Mai scriptam, recepit a Rzewuski, Palatino Cracoviensi.[114] Paulo postea etiam a Ministro negotiorum externorum Russiae, Comite Panin, similem obtinuit epistulam die 15 Maii, in qua Comes certiorem eum fecit, se legisse copiam epistulae Nuntii Garampi ad Rewitzky scriptam, ubi de incarceratione Episcopi Rylo in monasterio Berdyčoviensi secuta die 17 Aprilis ex dispositione Generali Szyrkow, nuntiatur.[115]

Ex his litteris patet, Nuntium Garampi omnes adhibuisse conatus et quidem non solum Varsaviae et Romae, sed etiam Viennae et Petropoli, ut liberationem Episcopi Rylo obtineret. Timuit enim Nuntius, ne Rylo in Siberiam relegaretur. [116]

Unica accusatio contra Episcopum Rylo a dissidentibus mota erat, eum nimis violenter erga dissidentes agere eosque persequi. Ipsi nonnulos casus huiusmodi « violentiae » adtulerunt,[117] quos

---

[110] IBID., fol. 113. Dantur testes hanc incarcerationem confirmantes. - Cfr. IBID., fol. 114, 115, 116, 117, 141, 144, 149.

[111] A. THEINER, *Vetera Monumenta Poloniae et Lithuaniae...*, t. IV, p. 587-588.

[112] ASV, *Nunz. Pol.*, t. 298, fol. 144-5; APF., *Scritt. rif. n. Congressi Mosc. Pol. Rut.*, t. 11, fol. 610. « Indegnità del caso mi hanno sopra ogni credere commosso e turbato senza perdere perciò l'animo, ricorsi subito al Rè, al Ministro, al Barone Rzewicki, ai Vescovi... Non cesso et non cesserò certamente di impiegare ogni pensiero, opera e fatica, per chi si è intieramente consacrato al servigio della Chiesa, e che *se totum impendit et superimpendit*... Informai ieri mattina non solo la Sacra Congregazione di Propaganda ma anche direttamente la Santità di Nostro Signore del compassionevole caso ». - Cfr. A. THEINER, *op. cit.*, t. IV., p. 587-588; A. PETRUŠEVYČ, *op. cit.*, p. 262.

[113] ASV, *Arch. Nunz.Vars.*, t. 34, fol. 153.

[114] IBID., fol. 151.

[115] *Sbornik imperatorskavo russkavo istoričeskavo obščestva*, volumen 135, p. 114.

[116] APF, *Scritt. rif. n. Congressi Mosc. Pol. Rut.*, t. 11, fol. 610;; Cfr. A. THEINER, *Monumenta...*, IV, p. 587-8. Die 8 Junii 1774 sac. Levandowski Episcopum Rylo certiorem fecit, se colloquium cum Maiore Kislinski ex Bersada habuisse, in quo « ... hic detulit de arresto Illustrissimae Dominationis et affirmabat quod potius iudicat Illustrissimam Dominationem extra limites exportatum, quam ut libertatem consequatur ». ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, t. 92, fol. 136.

[117] IBID., t. 34, fol. 204v et 205; Cfr. *Sbornik...*, p. 114-115.

quidem casus Nuntius Garampi, Diario « *Itinerarii Ucrainensis* », deinde etiam epistula Episcopi Rylo superveniente, falsos esse demonstravit.[118]

Die 1 Iunii, eodem anno, magnus Cancellarius Poloniae Mlodziejowski a Comite Stackelberg responsum recepit, in quo idem Comes negabat detentionem Maximiliani Rylo a Generali Szyrkow factam esse.[119]

Nuntius Garampi tunc temporis optime cognoscebat modum agendi Russorum, unde uno anno postea Equiti Sagramossa instructionem dedit, quomodo Petropoli sese gerere deberet.[120]

Interea Nuntius Garampi omnibus modis liberationem Episcopi Rylo procurare non cessabat, et die 29 Iunii cum eodem communicabat se hac die sublimes virtutes S. Apostoli Petri, durante eius detentione exercitatas, considerasse, praesertim autem singularem modum eius liberationis. Has meditationes faciens semper prae oculis personam Episcopi Rylo habuit, nam placuit Divinae Providentiae etiam eum vestigiis S. Petri ducere.[121].

Conatus Nuntii Garampi felicem exitum mense Iulio habuerunt. Nam die 2 Iulii a. 1774 Episcopus Rylo libertatem consecutus est.[122]

Libertate obtenta M. Rylo visitationem per tres menses adhuc continuabat. Denique die 15 Novembris a. 1774 Chelman rediit.[123] Post suum ex Ucraina Orientali reditum, difficultatibus ex prima

---

[118] Litterae J. Garampi ad Card. Castelli de data 25-V-1774. Cfr. APF, *Scritt. rif. n. Congressi Mosc. Pol. Rut.*, t. 11, fol. 632v; ASV, *Nunz. Pol.*, t. 293, fol. 50v.

[119] « L'Evêque de Rylo non suelement n'a jamais été pris, mais même je n'y ai jamais pensé... » ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, t. 34, fol. 173; Cfr. Ibid., fol. 204. Similiter respondit idem Comes Palatino Cracoviensi - Rzewuski. Cfr. Ibid., fol. 154.

[120] « Per altro non vedo quale utilità ci insulterebbe dal prenderci la pena di raccogliere Deposizioni, Fedi e Attestati anche giurati, quando in Russia si voglia prestar più fede alla relazione di qualche Officiale, complice delle stesse enormità e degli stessi bottini. Così è almeno successo finora. Bastino per ogni altro l'esempio dell'arresto di Mgr. Ryllo Vescovo di Chelma... La Corte di Vienna s'interessò per la sua liberazione, ma perchè il Sig. Principe di Lobkowicz chiamò questa una *prigionia* piuttosto che arresto, gli Ufficiali di Ukraina si schermirono facilmente da ogni rimprovero della loro Corte, trovando il sotterfugio di rispondere, non esser vero, che il Mgr. Ryllo fosse stato carcerato. Dal che n'è venuto, che fosse acerbamente risposto al Principe sudetto, non esser che esagerazioni e invenzioni i ricorsi che si facevano intorno al detto Prelato. Abbiamo allora soccombito presso la Corte di Pietroburgo, quasi colla faccia di calunniatori ». Secretam missionem a Sede Apostolica apud Aulam Petropolitanam habuit. ASV, *Nunz. Pol.*, t. 316, ff. 167-187; Cfr. Loret M. *Kościół Katolicki a Katrzyna II*, p. 242-243; ASV, *Nunz. Pol.*, t. 295, f. 241; *Nunz. Vienna*, t. 189, f. 275.

[121] ASV, *Nunz. Pol.*, t. 295, fol. 241.

[122] ASV, *Arch. Nunz Vars.*, t. 34, fol. 234-5; Cfr. A. Petruševyč, *op. cit.*, p. 263.

[123] ASV, *Nunz. Pol.*, t. 11 Additamenta, in medio tomi (non numerati).

Poloniae divisione provenientibus ac correctione librorum liturgicorum occupatus erat.

3. CANDIDATURAE ET ADMINISTRATURAE

I. Anno 1778, die 13 Februarii, Metropolita Ph. Wolodkowycz, 88 annos natus, vita functus est. Ei Episcopus Leopoliensis, L. Szeptyckyj, in Sede Metropolitana successit.[124] Aliquot mensibus postea, i. e. die 12 Junii anno 1778, Episcopus Volodimiriensis, Antonius Mlodowskyj, obiit. Nuntius Poloniae Archetti,[125] habita notitia fatorum Episcopi A. Mlodowskyj, sua apud Regem Poloniae interposuit officia, quatenus vacans hic episcopatus regimini Episcopi Rylo committatur.[126] Haec intentio Nuntii Archetti mox Episcopo Rylo patefacta erat.[127] Postea de hoc negotio personaliter Nuntium et Episcopum Rylo inter, tempore commorationis huius ultimi Varsaviae, tractabatur.[128]

Eodem adhuc anno Nuntius Archetti, in sua ad S. Congregationem de Propaganda Fide relatione scribebat, se habere rationes dubitandi de nominatione Episcopi Rylo in Episcopum Volodymiriensem, etiamsi antea promissiones datae erant.[129]

Episcopus Rylo iam mense Junio a. 1779 administrationem episcopatus Volodymiriensis accipere paratus erat[130] et revera paulo postea administrationem accepit, sed ad breve tantummodo tempus.[131]

Anno 1779 die 13 Maii Metropolita Kioviensis, Leo Szeptyckyj, in Radomyšl (Ucraina Orientalis), mortuus est.[132] Ad hanc altam dignitatem duo Episcopi idonei videbantur: Archiepiscopus Polo-

---

[124] A. PETRUŠEVYČ, *Svodnaja halycko-russkaja litopys'* t. II, p. 123; Cfr. M. HARASIEWICZ, *Annales...*, p. 576; A. PETRUŠEVYČ, *Cholmskaja eparchija...* p. 246.

[125] Joannes Andrea Archetti natus est die 11-XI-1731. Annis 1776-1784 erat Nuntius Apostolicus Varsaviensis, anno 1784 creatus est Cardinalis S. Romanae Ecclesiae. Obiit Asculi 5-XI-1805. Cfr. V. MEYSZTOWICZ, *De Archivo Nuntiaturae Varsaviensis*, Vaticani 1944, p. 31-34.

[126] APF, *Scritt. rif. n. Congressi Mosc. Pol. Rut.*, t. 13, fol. 298.

[127] ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, t. 146, fol. 79; Cfr. A. PETRUŠEVYČ, *Cholmskaja eparchija...*, p. 273.

[128] « Non ha ancora Sua Maestà nominato al vacante Vescovato di Vladimiria, il quale per altro sembra destinato per Monsg. Rylo... »; APF, *Scritt. rif. n. Congressi Mosc. Pol. Rut.*, t. 13, f. 308.

[129] « Dopo che mi erano state date quasi positive sicurezze, che Monsignor Rillo sarebbe stato nominato al vacante Vescovado di Vladimiria, ed il Padre Protoarchimandrita de Basiliani a quello di Chelma, ho ragion di temere, che le Reali disposizioni andranno a mutarsi, come per l'ordinario accade nelle Corti, ove non vi è cosa alcuna di stabile... ». AFP, *Scritt. rif. n. Congressi Mosc. Pol. Rut.*, t. 13, fol. 350-1; Cfr. A. PETRUŠEVYČ, *Cholmskaja eparchija...*, p. 279-282.

[130] ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, t. 146, fol. 93; Cfr. APF, *Scritt. rif. n. Congressi Mosc. Pol. Rut.*, t. 13, fol. 456.

[131] IBID., fol. 94.

[132] M. HARASIEWICZ, *op. cit.*, p. 576.

censis Jason Junosza Smogorzewskyj et Episcopus Chelmensis Maximilianus Rylo.[133] Eodem anno, die 8 Junii, Episcopus Peremysliensis, Athanasius Szeptyckyj, in oppido Sambir obiit. Tres igitur vacabant sedes episcopales: Metropolitana, Leopoliensis et Peremysliensis.

Quoad dignitatem Metropolitanam, P. Ammann (« Storia della Chiesa Russa » pag. 379) observat, Imperatricem Catharinam II Metropolitam Episcopum Rylo motu proprio nominasse, sed ipse recusavit, suae incarcerationis in oppido Berdyčiv memor. Attamen haec nominatio a parte Catharinae II et recusatio a parte Episcopi Rylo sedem Archiepiscopalem Palocensem potius respicere videtur. Nam Episcopus Rylo numquam spem obtinere Metropoliam habuit; [134] et de facto in Metropolitam Archiepiscopus Polocensis, Jason Junosza Smogorzewskyj, die 6 Martii a. 1780 electus est.[135] Attamen iterum tres sedes eparchiales vacabant: archieparchialis Polocensis, Leopoliensis et Peremysliensis. Tempore vacationis administratio eparchiae episcopo viciniori eiusdem ritus, iuxta dispositionem Synodi Provincialis Zamostiensis, committebatur. [136] Iuxta hanc dispositionem administratio eparchiae Peremysliensis ad Episcopum Rylo spectabat. Sed ipse praefatam administrationem assumere non valebat, quia praeter eparchiam suam curam eparchiae Volodymiriensis, tanquam administrator, habuit. Ideoque administrationem (spiritualem) eparchiae Peremysliensis a die 7 Augusti a. 1779 Sac. Andrea Jakubinskyj suscepit. [137]

Ipse autem Episcopus Rylo iam eo tempore in Archiepiscopum Polocensem destinatus erat. Auditor Nuntiaturae Vindobonensis, Comes Caleppi, ante hanc destinationem multum adlaborabat ut Rylo Episcopus Leopoliensis fieret.[138] Ipse Rylo eius conatibus non fuit contrarius.[139] Nihilominus Nuntius Archetti, optimis intentio-

---

[133] A. Petruševyč, *Cholmskaja eparchija...*, p. 282-284,

[134] « Metropoliam ibtinere nunquam sperabam, nam haec dignitas fuerat illico post obitum p. d. Szeptycki declarata Illustrissimo Archiepiscopo Polocensi, supererat difficultas Aulae Petropolitanae consensus, ast haec iam cessavit ac concessum est praefato Archiepiscopo acceptandi Metropoliam ». ASV, *Nunz. Vienna*, t. 77, fol. 46.

[135] *Archeografičeskij sbornik*, t. X, p. 339; Cfr. J. Pelesz, *op. cit.*, II, p. 571.

[136] *Synodus Provincialis Ruthenorum habita in civitate Zamosciae anno 1720*, Romae 1838, p. 115.

[137] APF, *Scritt. rif. n. Congressi Mosc. Pol. Rut.*, t. 13, fol. 501-2.

[138] « Son sicuro, che quella Chiesa (Leopoliensis) non potrebbe esser conferita a soggetto più degno, ma forse ella sarà destinata a Metropolia ». ASV, *Nunz. Vienna*, t. 191, fol. 223; Cfr. APF, *Scritt. rif. n. Congressi Mosc. Pol. Rut.*, t. 13, fol. 538: « La destinazione di Monsignor Ryllo all'Arcivescovado di Polosco mi aveva veramente sconcertato non poco per averlo io fatto proporre alla vacante Chiesa di Leopoli »; ASV, *Nunz. Vienna*, t. 191, fol. 356: « Il mio (Garampi) desiderio sarebbe stato veramente di sentirla piuttosto nominata per Leopoli »; Cfr. A. Petruševyč, *Cholmskaja eparchija...*, p. 284-285.

[139] ASV, *Nunz. Vienna*, t. 77, fol. 46.

nibus ductus, totis viribus Episcopum Rylo in sedem archieparchialem Polocensem transferre conabatur.[140] Unde iam mense Augusto cum Comite Stackelberg pertractabat, ut ab Imperatrice Catharina II permissionem translationis Episcopi Rylo in sedem archieparchialem Polocensem obtineret. Comes Stackelberg multum ei favebat.[141] Huic tamen translationi contrarius erat ipse Rylo, quocum Nuntius Archetti longum hac super re Varsaviae colloquium habuit. Varias adduxit rationes, quibus Episcopum Rylo persuadere voluit, ut huic translationi consentiret, quod quidem obtinuit.[142]

Auditor Comes Caleppi noscens quantum Nuntius Archetti in translatione Episcopi Rylo ad archieparchiam Polocensem insistit, suas petitiones pro translatione eiusdem ad eparchiam Leopoliensem retraxit.[143]

Catharina II, Regis Poloniae votis obsecundans, Archiepiscopo Polocensi J. Smogorzewskyj Metropoliam, Episcopo vero Rylo archieparchiam Polocensem suscipere permisit.[144]

Attamen huic translationi nondum praebuit consensum Episcopus Rylo, quia persuasum habuit, Dissidentes translationem pro occasione vindicationis habebunt, eius laboribus, tempore visitationis in Ucraina Orientali peractis, infensi.[145]

Sacra Congregatio de Propaganda Fide putabat, post Archiepiscopi Polocensis ad sedem Metropolitanam evectionem, aptissimum in Episcopo Rylo successorem invenisse, in cuius pietate, fidei zelo, doctrina et rerum gebernandarum usu plane conquiescebat. Attamen a Rylo epistulam die 9 Novembris 1779 accepit, in qua idem Antistes causas affert, quae eum ab huiusmodi translatione acceptanda omnino prohibent. Quarum prima haec erat, quod post archieparchiae Polocensis ab Imperio Russico occupationem, nonnullae orationes fidei puritati sanctitatique Divini Sacrificii et aliorum ecclesiasticorum officiorum contrariae introductae fuerunt.[146]

---

[140] APF, *Scritt. rif. n. Congressi Mosc. Pol. Rut.*, t. 13, fol. 453.

[141] Ibid., fol. 506.

[142] « Il degno Prelato partì ieri di Varsavia rassegnato, e sottomesso a quelle supreme determinazioni, che sulla di lui persona fosse per prendere la Santità di Nostro Signore ». Ibid., fol. 506; Cfr. A. Petruševyč, *Cholmskaja eparchija...*, p. 284.

[143] APF, *Scritt. rif. n. Congressi Mosc. Pol. Rut.*, t. 14, fol. 38.

[144] A. Petruševyč, *Cholmskaja eparchija...*, p. 285: « Ad instantiam suae regiae Majestatis regni Poloniae nos potestatem facimus Jasoni Smogorzewski Archiepiscopo Unitae Ecclesiae Polocensi acceptandi promotionem ad fastigium dignitatis Metropolitanae eiusdem Unitae Ecclesiae a sua regia Majestate factam, atque exercendi huius muneris causa discendendi ex imperio nostro, in cuius locum ad Archiepiscopatum Polocensem unitum episcopum Chelmensem Maximillianum Rylo, cui praedictus rex pari expleturus ratione desiderium nostrum facultatem elargitur acceptandi nostram imperatoriam promotionem » (12-VIII-1779).

[145] APF, *Scritt. rif. n. Congressi Mosc. Pol. Rut.*, t. 13, fol. 517.

[146] Ibid, t. 10, fol. 482; Cfr. Ibid., t. 14, fol. 77; A. Petruševyč, *Cholmskaja eparchija...*, p. 286.

Secunda autem erat aequivoca pronuntiatio in lingua ecclesiastica verborum « catholicissimae et orthodoxi ».

Tertia denique fuit timor vindictae ex parte Dissidentium. Insuper ad suam iam provectam aetatem alludebat.[147]

S. Congregatio de Propaganda Fide, hac epistula die 8 Januarii a. 1789 recepta, eidem respondit, quod quidem eidem S. Congregationi non modo vehementer molestum, sed etiam inopinatum id accidit. S. Congregatio existimabat, Praesulem S. Unionis studio mirifice flagrantem provinciam illam minime detrectaturum, in qua uberrimos animarum fructus sua virtute ac constantia percipere posset, licet aliqua oppugnatio a Dissidentibus esset subeunda. Quare eadem S. Congregatio etsi Episcopi Rylo in hoc voluntatem cogere aut coarctare minime intendebat, eum tamen hortabatur, ut diligenter sibi persuadeat, nihil gratius non modo S. Congregationi, verum etiam ipsi Romano Pontifici faceret, si ad Polocensem Ecclesiam acceptandam animum induxerit.[148]

Interea Rylo die 30 Decembris a. 1779 a Nuntio Poloniae, Archetti, supplices recepit litteras, quibus Nuntius eum obsecrat, ut possessionem archieparchiae Polocensis accipiat, nam omnia iam rite disposita sunt et ipse nullum alium magis idoneum Pastorem pro illo grege, tam gravibus periculis obnoxio, reperit.[149]

Post colloquium, quod Episcopus Rylo cum Nuntio Garampi Vindobonae a. 1780 habuit, in quo Garampi insistebat super promissione Episcopi Rylo Nuntio Archetti data acceptandi archieparchiam Polocensem,[150] et super eius haesitatione, ex qua periculum immo damnum pro tot fidelibus oritur, nam suo orbati sunt pastore,[151] sub influxu epistolae Nuntii Archetti et colloquii Nuntii Garampi Episcopus Rylo die 5 Januarii a. 1780 archieparchiam Polocensem accipere statuit; persuasus enim erat hanc esse Sanctae Sedis ac Divinae Providentiae voluntatem.[152] Attamen graves consequentiae eius anterioris recusationis, ad quas alludit Nuntius Archetti,[153] iam exortae fuerant. Metropolita J. Smogorzewskyj archieparchiam Polocensem una cum Metropolia retinere voluit; Catharina II tamen eius intentioni non consensit, nam Smogorzewskyj, suscepta dignitate Metropolitae, non erat amplius subditus Catharinae II.[154] Insuper eadem Imperatrix Generali Cernišev mandatum dedit, ut pro regimine spirituali archieparchiae Polocensis Consistorium e tribus aut quattuor ecclesiasticis eiusdem religionis hominibus fidelibus probaeque vitae, subditis eiusdem Imperatricis, constitue-

---

[147] APF, *Scritt. rif. n. Congressi Mosc. Pol. Rut.*, t. 13, fol. 593-94.
[148] APF, *Lettere*, t. 236, fol. 14-15.
[149] ASV, *Nunz. Pol.*, t. 340, fol. 247-8.
[150] APF, *Scritt. rif. n. Congressi Mosc. Pol. Rut.*, t. 14, fol. 37.
[151] Id., fol. 37.
[152] APF, *Lettere*, t. 236, fol. 209.
[153] APF, *Scritt. rif. n. Congressi Mosc. Pol. Rut.*, t. 14, fol. 71-73; Cfr. Ibid., fol. 188.
[154] Ibid., fol. 188.

ret.[155] Tunc temporis periculum aderat, Archiepiscopum Polocensem e dissidentibus electum iri.[156] In hoc tam gravi negotio Pius VI suis cum epistulis ad Catharinam II intervenit,[157] ad quas Catharina II modo vago respondebat, ut nominationem Episcopi pro Ecclesia Polocensi differret.

Consistorium Polocense, cuius caput H. Lisowskyj erat, plus quam tres integros annos (a mense Augusto 1780 ad Januarium 1784) Archieparchiam Polocensem administrabat.[158] Positio Consistorii difficili erat. Situatio Ecclesiae Unitae facta est valde gravis.[159] Spargebantur notitiae de imminenti suppressione archieparchiae Polocensis et de totali destructione S. Unionis. Revera imperatrix Catharina II edicto suo omnem communicationem Consistorii et universi cleri Polocensis cum Metropolita in Polonia residenti prohibuit decrevitque, ut in casu mortis aut occasione institutionis parochorum populus ipse interrogaretur, utrum in Unione remanere an sese Ecclesiae Dissidenti adnumerari mallet. Statim magna pressio ex parte Dissidentium coepit, qui partim fraude et minis, partim violenter populum ad Ecclesiam Dissidentem pertrahere conabantur. Hoc modo plures parochiae Ecclesiae Unitae a S. Unione avulsae sunt et nonnulli ex clero defecerunt.[160]

Membra Consistorii Polocensis iam de ipsa existentia Ecclesiae Unitae desperabant.[161] H. Lisowskyj Metropolitam J. Smogorzewskyj in auxilium vocavit.[162] Sed trustra tum Metropolita, tum Nuntius Archetti, tum denique ipse Romanus Pontifex Pius VI apud Gubernium Rossiacum pro nominatione novi archiepiscopi Polocensis instantias faciebant.[163]

Quarto demum sedis vacantis anno imperatrix precibus Summi Pontificis cessit. Anno 1783-1784 Petropoli Legatus Summi Pontificis J. A. Archetti degebat,[164] qui denique pro archeparchia Polo-

---

[155] Ibid., fol. 188; Cfr. fol. 99. Ad Consistorium regimen Archieparchiae tum in spiritualibus tum in temporalibus spectabat. Quod quidem tribus constabat monachis Basilianis. Cfr. M. M. Solowij, *De reformatione liturgica Heraclii Lisowskyj*, Romae, 1950, p. 6.

[156] L. Pastor, *Storia dei Papi*, vol. XVI, 3, p. 212.

[157] « La translazione di Monsignor Smogorzewski alla Metropolia in cotesto vasto Impero, ci porta per ogni dovere a supplicare con la maggior vivezza del nostro spirito Vostra Maestà a non permettere, che nella Chiesa di Polosco da lui lasciata venga sostituito un soggetto, che non sia di Rito Unito alle communione Romane, e fornito di quella proibità, prudenza, e merito, che richiede un tal importante Ministro ». APF, *Scritt. rif. n. Congressi Mosc. Pol. Rut.*, t. 14, fol. 192.

[158] Ibid., fol. 537.

[159] ASV, *Arch.Nunz. Vars.*, t. 145, fol. 124.

[160] Ibid., fol. 381.

[161] Ibid., fol. 395.

[162] Ibid., fol. 124.

[163] AVAK, t. XVI, p. XXX-XXXII, 325.

[164] Cfr. J. Gagarin, *Un nonce du pape à la cour de Catherine II. Mémoires d'Archetti*, Paris-Bruxelles 1872.

censi novum pastorem obtinuit. Nuntius Archetti una cum Metropolita Smogorzewskyj et Rege Poloniae candidaturam P. Porphyrii Ważynskyj, Protoarchimandritae O. S. B. M., sustinebat. [165]

Catharina autem II noluit subdito regis Poloniae archieparchiam in suo Imperio conferre.[166] Mense Januario a. 1784 imperatrix Abbatem Onuphriensem P. H. Lisowskyj ad cathedram archieparchialem Polocensem promovit.[167]

II. Post mortem episcopi Athanasii Szeptyckyj (8-VI-1779) clerus eparchiae Peremysliensis ab imperatrice Maria Teresia novum episcopum ex clero saeculari petivit proposuitque novem candidatos. Similem petitionem Gubernio Leopoliensi misit. Gubernium autem Leopoliense relationem Vindobonam transmisit, in qua ad eparchiam Peremyslensem tres candidatos elegerat. Primus candidatus fuit Joannes Gutz, canonicus Leopoliensis, secundus Andreas Jakubinskyj, officialis et administrator in spiritualibus vacante sede episcopali Peremysliensi, sed, quia fuit senex sexaginta annorum, iuxta etiam nomen Josephi Kaffilewicz apposuit. Denique tertius fuit Nicolaus Szumlanski, monachus O. S. B. M. Hanc relationem die 2 Octobris a. 1779 Gubernium Vindobonense considerabat, et Petrum Bielanskyj, ex clero saeculari, in episcopum Leopoliensem et Nicolaum Szumlanskyj, ex clero regulari, in episcopum Peremysliensem proposuit. Has suas propositiones Mariae Teresiae transmisit quae quidem mutavit secundum candidatum et Maximilianum Rylo in episcopum Peremysliensem nominavit.[168]

Nomen Episcopi Rylo non inveniebatur inter nomina candidatorum ad sedem episcopalem Peremysliensem. Unde eius nominatio facta est motu proprio Mariae Teresiae, quae memor erat meritorum huius Praelati in defensione Sanctae Unionis, eius incarcerationis in oppido Berdyčiv (ex qua liberatus fuit ob interventum eiusdem imperatricis), etsi non meminerit eius nominis. Die 25 Novembris a. 1779 M. Rylo Auditori Nuntiaturae Vindobonensis, Comiti Caleppi, gratias egit pro notitia de sua nominatione in eparchiam Peremysliensem. Sic enim securus erat ab ingerentia Gubernii Russici. Insuper Auditorem Caleppi rogabat, ut cathedralem Chelmensem titulo praecedenti retineret et insuper per aliquot annos Peremysliensem eparchiam titulo administratoris gubernaret. [169]

Petitionis rationes adducebat plures, ex circumstantiis politicis

---

[165] APF, *Scritt. rif. n. Congressi Mosc. Pol. Rut.*, t. 13, fol. 613.

[166] Cfr. J. Gagarin, *op. cit.*

[167] M. M. Solowij, *De reformatione liturgica...*, p. 6-7.

[168] « Was die Besetzung der erledigten zwei griechischen Bistümer anbelangt, da will ich aus den von der Kanzlei ganz gründlich angeführten Betrachtungen, zu dem Lemberger Bisthum den Canonicus Bielanskyj; zu dem Premisler Bisthum aber den jetzigen Bischof von Chelm Gryllo (sic!) anmit benennen. Maria Theresia mp. ». W. Chotkowski, *Historya...*, II, p. 484.

[169] ASV, *Nunz. Vienna*, t. 77, fol. 64-5.

territorii, duo inter imperia exdivisi, tum etiam ex ipso bono eparchiae Chelmensis tractas.[170]

Paulo post receptionem notitiae de sua in episcopum Peremysliensem nominatione, Vindobonam profectus est, ut gratias imperatrici perageret. Die 6 Februarii a. 1780 venit Vindobonam. Bis a Maria Theresia in audientia receptus fuit, die nempe 20 Februarii [171] et 4 Martii.[172]

Duobus diebus postea, id est die 6 Martii a. 1780, Nuntius Vindobonensis Garampi administrationem eparchiae Peremysliensis ad Episcopum Rylo pertinere declaravit, conformiter decretis Synodi Zamostiensis.[173] Hucusque, a die 7 August 1779, hanc administrationem P. Andreas Jakubinskyj exercebat.

Gratiis imperatrici Mariae Theresiae pro nominatione in episcopum Peremysliensem peractis obtentaque administratione huius eparchiae M. Rylo die 11 Martii a. 1780 Vindobonam relinquit ac Peremysliam venit. Paulo postea facultates necessarias pro suo munere pastorali obeundo a Nuntio Garampi recepit.[174]

M. Rylo totis viribus deplorabilem statum eparchiae Peremysliensis in meliorem statum adducere conabatur; eo fine die 26 Mai a. 1780 Valavae (residentia episcopalis) Congressum Generalem cleri eparchialis convocavit.

Unum Episcupum Rylo affligebat, nempe ipse uti administra-

---

[170] Ibid., fol. 65; Cfr. APF, *Scritt. rif. n. Congressi Mosc. Pol. Rut.*, t. 13, fol. 586.

[171] « Die 20 (Februarii) dominica absolutis devotionibus aulam caesaream adivimus, et habuimus audientiam apud august. Imperatricem, quae cum jam alias de meo adventu informata fuerat et etiam de voluntate Summi Pontificis me disponente in Moschovitarum dominium sufficienter instructa, illico in responso subjunxit, quod quamvis libenter haberet in episcopatu Premisliensi, cum tamen fortior me Imperatrix Moschoviae praetendat me ad sua transferre dominia, et id bonum religionis exposcat, ea propter rem non esse plene terminatam de Premisliensi episcopatu, hoc tamen non obstante libenter appromitto (sunt verba Imperatricis) omnia quaecumque sive personae ejus sive clero ejus necessaria forent; subjunxit subaudi verum quod plures peragratus sis natíones, vidisti ne filiam meam reginam Galliae, resposui, me regiones exteras visitasse illo tempore, dum adhuc proles Majestatis Vestrae manserant Viennae... ». A. Petruševyč, *Cholmskaja eparchija...*, p. 288.

[172] « Hodie horis matutinis Majestatem pro valedictione accesseram, augustissima domina postquam aliqua locuta fuerit... haec subjunxerat: Magnam habes Romae aestimationem, quod me summopere solatur, scias quoque me esse contentissimam te habendi in regnis meis, et ponas studium non abscendendi ad illius imperatricis acatholicae dominia, permanebis in dominiis huius imperatricis, quae est catholica et etiam pollicetur tibi omnem suam munificentiam, tum personae tuae, tum etiam clero ac populo tuo ». Ibid., p. 289; Cfr. J. Pelesz, *op. cit.*, II, p. 697.

[173] ASV, *Nunz. Vienna*, t. 77, fol. 88; Cfr. A. Petruševyč, *Cholmskaja eparchija...*, p. 290.

[174] ASV, *Nunz. Vienna*, t. 191, fol. 565; W. Chotkowski, *op. cit.*, II, p. 494: Duas posuit quaestiones: 1. Quis dedit Ep. M. Rylo iurisdictionem spiritualem in eparchiam Peremysliensem? 2. Quando administrationem obtinuit? His quaestionibus iam supra respondimus.

tor usu proventuum eparchiae Peremysliensis a Gubernio Leopoliensi privatus fuit, dum praesens eius conditio longe erat deterior anterioris, nam labor et expensae superveniebant, proventus autem nulli. Comes Chotek Leopoli scribebat, eum proventibus eparchiae Chelmensis contentum esse debere. In Curia Vindobonensi et Gubernio Galitiae huiusmodi proventus eousque pro intercalaribus [175] habebantur, donec confirmatio Sanctae Sedis quoad Episcopum Rylo non supervenerit.[176] Quare ipse Peremysliae degens propriis expensis vivere cogebatur.

Die 8 Decembris a. 1780 imperatrix Maria Theresia obiit, cui eius filius Josephus successit.[177] Nuntius Vindobonensis Garampi Episcopo Rylo suggerebat, Imperatorem Josephum II orare, ut ei episcopatum Peremysliensem conferret.[178] M. Rylo tamen anceps haerebat, an hoc facere deberet, quia tunc temporis nondum determinatum fuit, quis in archiepiscopum Polocensem assumetur. Nuntius enim Versaviensis Archetti Patrem Ważynskyj, Ex-Protoarchimandritam Ordinis Sancti Basilii Magni, Metropolita autem J. Smogorzewskyj Patrem Lisowskyj, Abbatem Onuphriensem, Episcopus Mohiloviensis, Siestrzencewicz, Patrem Odyniec, suum cognatum ex-Jesuitam, uti candidatos in archiepiscopum Polocensem proponebant.

Interea die 24 Aprilis a. 1781 M. Rylo in monasterium O.S.B.M. Krystynopolim venit ibique Congressui eparchiali praesidebat.[179]

Episcopus Rylo videns se non sine difficultate translationem in eparchiam Peremysliensem obtinere posse, ob nondum solutam quaestionem ecclesiae Polocensis, Nuntio Garampi P. Julianum Sporyng [180] uti candidatum in Episcopum Peremysliensem proposuit, etsi clerus saecularis electioni novi episcopi ex clero regulari opponebatur.[181] Alia tamen fuit intentio Nuntii Garampi, nempe ut resignato potius episcopatu Chelmensi Peremysliensis ecclesiae titulum adsumere velit.[182]

Die 19 Aprilis a. 1782 Episcopus Rylo una cum P. Sporyng in Congressum eparchialem in Krystynopol venit;[183] paulo postea (die 26 Mai eodem anno) similis Congressus iterum in Krystinopol locum habuit, cui ipse M. Rylo praesidebat.[184]

---

[175] Proventus eparchiae, sede episcopali vacante, fructus intercalares vocabantur.

[176] ASV, *Nunz. Vienna*, t. 77, fol. 89.

[177] L. Pastor, *Storia dei Papi*, vol. XVI, 3 p. 336.

[178] ASV, *Nunz. Vienna*, t. 77, fol. 125, 127.

[179] V. Černeckyj, *op. cit.*, p. 59.

[180] P. Julianus Sporyng fuit religiosus OSBM et studiis theologicis Romae vacabat. APF, *Lettere*, t. 228, fol. 94.

[181] ASV, *Nunz. Vienna*, t. 77, fol. 130; Cfr. APF, *Scritt. rif. n. Congressi Mosc. Pol. Rut.*, t. 14, fol. 604.

[182] ASV, *Nunz. Vienna*, t. 192, fol. 318; Cfr. APF, *Scritt. rif. n. Congressi Mosc. Pol. Rut.*, 14, fol. 640, 627-628.

[183] V. Černeckyj, *op. cit.*, p. 60.

[184] Ibid., p. 62.

Die 1 Julii 1783 Imperator Josephus II oppidum Peremyšl visitavit ibique cum Episcopo Rylo longum habuit colloquium de numero monasteriorum O. S. B. M., de differentia inter « Schismaticos et Unitos », de Sacrificio Missae, de Joanne Sočaviensi, nec non de ipso ritu.[185]

Una adhuc exurgit quaestio tempore administrationis eparchiae Peremysliensis, reductio festorum. Haec quaestio iam antea exorta erat, nam a. 1758 Romanus Pontifex Benedictus XIV, postulante Maria Theresia, nonnullis diebus festivis populum eidem subiectum ad audiendam Missam solummodo teneri decrevit, alia vero non exercendorum servilium operum lege solvit. Haec tamen concessio fere nullos fructus peperit. Hac de causa eadem Imperatrix anno 1770 iterum a Romano Pontifice Clemente XIV postulavit, ut insuper dies festivos minuere dignaretur gravesque afferens rationes, quibus dies festivi tum utilitati publicae tum ipsi religioni obesse videantur. Clemens XIV plenipotentiam hac in re Nuntio Vindobonensi Visconti concessit.[186]

Post occupationem Galitiae ab Imperio Austriaco, Episcopo Rylo a. 1774 in Ucraina Orientali commoranti, advenerunt epistulae: a Nuntio Varsaviensi Garampi et a Gubernatore Galitiae, reductionem festorum spectantes,[187] qui suo Vicario Generali commisit, ut statim hanc legem in effectum deduceret.[188]

Anno 1784 Episcopus Rylo a Gubernio Leopoliensi ordinem recepit, ut ipse litteris pastoralibus in eparchia Peremysliensi ad reductionem festorum procederet. Die 11 Martii a. 1784 M. Rylo epistulam pastoralem celebrationem festorum praescribentem pro approbatione Leopolim ad Gubernium misit,[189] et paulo post Congressui eparchiali in Krystynopil praesidebat,[190] in quo hac de re tractabat.

Expleto triennio, quo M. Rylo uti administrator in eparchia Peremysliensi multum fecit, eparchiam Chelmensem dimittere, Peremysliensem vero accipere determinatus erat.

III. M. Rylo die 30 Augusti a Gubernio Leopoliensi epistulam recepit qua obligabatur, ut se determinaret, qualem eparchiam retinere se velle: Chelmensem an Peremysliensem.[191] Rylo Peremysliensem eparchiam elegit. Hac de causa a Gubernio Leopoliensi permissionem, ad Sedem Apostolicam pro obtinenda translatione recurrere, petivit. Translationem a Sancta Sede acquirere statuit,

---

[185] A. Petruševyč, *Cholmskaja eparchija...*, p. 296-98.

[186] ASV, *Nunz. Vienna*, t. 163, fol. 141; Cfr. Ibid., fol. 148-149, 191.

[187] ASV, *Nunz. Pol.*, t. 293, fol. 29; Cfr. W. Chotkowski, *op. cit.*, I, p. 56.

[188] ASV, *Nunz. Vienna*, t. 77, fol. 190; Cfr. ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, t. 137, fol. 75. Reformationi Calendarii M. Rylo iam antea favebat. A. Petruševyč, *Cholmskaja eparchija...*, p. 47-48.

[189] ASV, *Nunz. Vienna*, t. 77, fol. 169.

[190] V. Černeckyj, *op. cit.*, p. 63.

[191] J. Pelesz, *op. cit.*, II, p. 697.

quia de iuribus Metropolitarum hac in re dubitabat.[192] Notitia de tali decisione Episcopi Rylo non parvam Nuntio Garampi attulit laetitiam. Qui non dubitabat, Episcopum Rylo permissionem Roma breviter obtenturum iri.[193]

Gubernium Leopoliense in sua responsióne nihil dixit de recursu Romam faciendo, sed unam posuit quaestionem: num Metropolita prouti confirmat et consecrat episcopos, ita etiam et translationem perficere posset.[194] Die 17 Aprilis (eiusdem anni) M. Rylo idem Gubernium certius reddidit, quod de antiquo Ecclesiae iure erat et hoc etiam inter privilegia Metropolitarum inveniebatur, sed iam cessaverat, ita ut translationem habere desiderantes, ad Sedem Apostolicam recursum facere debent et de facto eius antecessor Ph. Wolodkowycz de cathedra Chelmensi dum ad Vladimiriensem transferebatur non auctoritate Metropolitae, sed Sanctae Sedis, a Romano Pontifice Clemente XIII huiusmodi beneficium consecutus est.

Nam inter privilegia Metropolitis Ecclesiae Unitae a Clemente VIII confirmata, nihil legitur de translatione, prouti de confirmatione et consecratione episcoporum. Immo tempore Benedicti XIV Metropolita (Hrebnicki) tentabat etiam translationis ius sibi arrogare, at statim monitus fuerat, ne audeat involare in iura Sanctae Sedis.

Attamen Gubernium Leopoliense recepta hac responsione, M. Rylo commisit, quatenus Metropolitam Smogorzewskyj pro translatione sui ad episcopatum Peremysliensem ex Chelmensi rogaret.[195] Quod quidem fecit idem Antistes die 17 Januarii a. 1784,[196] et paulo postea (11-V-1784) de hoc cum Nuntio Garampi communicavit eumque rogabat, ut Metropolitam moneret, quatenus hac in materia dispositio Romani Pontificis Benedicti XIII diligentur observaretur, aut ut Sancta Sedes Metropolitae conatus praeveniendo totum hocce negotium sua suprema potestate conficeret.[197]

Interea die 29, Julii a. 1784 M. Rylo Nuntium Garampi certiorem reddidit translationem iam die 12 Julii peractan fuisse, et hanc causam arbitrio eiusdem Nuntii subiecit, ut si aliqua sint addenda,

---

[192] ASV, *Nunz. Vienna*, t. 77, fol. 147; Cfr. APF, *Scritt. rif. n. Congressi Mosc. Pol Rut.*, t. 15, fol. 161.

[193] ASV, *Nunz. Vienna*, t. 193, fol. 84.

[194] Ibid., fol. 157.

[195] « Die Translation quoad spiritualia von der Chelmer Cathedral zu jener in Przemysl aber hätte er bei dem jetzzeitigen Herrn Metropoliten und nicht in Rom zu bewirken ». W. Chotkowski, *op. cit.*, II, p. 494.

[196] « Accepi dispositionem ab Illustrissimo Dominio Guberantore Regni Lodomeriae, quatenus rogam Dominationem Vestram Excellentissimam pro translatione mei ad episcopatum Peremysliensem ex Chelmensi. Adimpleo eandem dispositionem atque oro pro gratia hujusmodi manens cum profunda veneratione ». APF, *Scritt. rif. n. Congressi Mosc. Pol. Rut.*, t. 15, fol. 342.

[197] ASV, *Nunz. Vienna*, t. 77, fol. 169.

supplenda aut immutanda id efficiat.[198] Nuntius eidem respondit scribens, hac in translatione necessariam esse dispensationem specialem Sanctae Sedis, sed talia sunt eius merita, ut non debet dubitare, quin concessio concedatur.[199]

S. Congregatio de Propaganda Fide habita notitia tam a Nuntio Garampi, quam ab ipso Episcopo Rylo de translatione iam peracta, eam improbavit immo nullam esse declaravit. Tunc nonnulli fautores Metropolitae dicere coeperunt totam culpam hoc in negotio esse Episcopi Rylo, quem tamen Garampi in sua ad Nuntium Varsaviensem epistula (19. Januarii a. 1785) defendit.[200]

Interea M. Rylo recepta a S. Congregatione de Propaganda Fide sat dura epistula,[201] cum Gubernio Leopoliensi communicavit se ab eadem S. Congregatione exprobratum fuisse, quod non a Summo Pontifice ius privativum hac in re habente (sicuti ipse voluit, sed permissionem Romam recurrere non obtinuit), sed a Metropolita Smogorzewskyj instrumentum translationis ei impetratum esse. Gubernium autem a Metropolita requisivit, ut indicare dignetur iura quibus translationem peregit.[202] Metropolita Smógorzewskyj lungam defensionem iurium Metropolitarum scripsit (die 17 Maii 1785), in qua tanquam fundamentum Bullam Unionis Clementis VIII [203] habuit illamque S. Congregationi de Propaganda Fide misit, quae quidem ei per longum latumque respondit, non competere Metropolitis ius transferendi episcopos de una ad aliam ecclesiam nisi praevia data licentia Summi Pontificis.[204]

Die 10 Martii a. 1785 Episcopus Maximilianus fusiori calamo ad S. Congregationem de Propaganda Fide scripsit epistulam, suam defendens innocentiam.[205] Nondum recepta hac epistula S. Congregatio die 27 Februarii a. 1785 sanationem translationis apud Summum Pontificem procuravit.[206] Episcopus Rylo gratias S. Congregationi egit (25 Martii a. 1785) pro hoc benevolentiae documento.[207]

4. MAXIMILIANUS RYLO - EPISCOPUS PEREMYSLIENSIS

M. Rylo factus Episcopus Peremysliensis, die 2 Septembris anno 1785 Leopolim venit ibique uti Episcopus Peremysliensis iura-

---

[198] Ibid., fol. 182; Cfr. A. Petruševyč, *Cholmskaja eparchija...*, p. 294.

[199] « Quanto alla di Lei traslazione dalla Chiesa di Chelma a quella di Premislia, perchè sia nella regola consueta parmi che abbisogna di speciale dispensa dalla S. Sede... Ma tali sono i meriti di nostro Msgr. Ryllo, che non deve punto ella dubitare, che la Santità di Nostro Signore non sia per sanare qualunque difetto canonico potesse essere in ciò occorso ». ASV, *Nunz. Vienna*, t. 193, fol. 459.

[200] Ibid., t. 194, fol. 15.

[201] Ibid., fol. 38.

[202] ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, t. 149, fol. 73.

[203] « *Decet Romanum Pontificem* »; M. Harasiewicz, *op. cit.*, p. 219-222.

[204] ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, t. 149, fol. 104-110; Cfr. fol. 67-102, 138, 140.

[205] APF, *Scritt. rif. n. Congressi Mosc. Pol. Rut.*, t. 15, fol. 487-490.

[206] « Quum R. P. D. Maximilianus Ryllo Episcopus Chelmensis Ritus

mentum fidelitatis Imperatori Josepho II in manus Gubernatoris Galitiae emiserat.[208] Quotannis autem sicuti antea, ita et nunc de statu suae eparchiae S. Congregationem de Propaganda Fide certiorem faciebat.[209]

Die 27 Aprilis a. 1786 Comes Brigido, Gubernator Leopoliensis Metropolitam Smogorzewskyj interrogabat, utrum ipse propria auctoritate ad divisionem eparchiarum procedere valeat, an episcopi Romam recursum facere debent. Gubernator enim voluit, ut limites districtuum simul limites eparchiarum constituant, ne in uno districtu duo episcopi suam exerceant iurisdictionem. Metropolita respondit, quamvis amplissima sunt iurisdictionis Metropolitanae privilegia, ne tamen aliquae difficultates exoriantur, recurrendum esse ad Sanctam Sedem.[210] Antea autem ad Dominum Antici Varsaviam idem Metropolita scripsit, ut Nuntio exponeret, Metropolitam in Synodo Zamostiensi limitum eparchiarum curam assumpsisse. Ideoque an possit ipse in hoc casu uti hac potestate a Synodo concessa? In casu negativo petit, quatenus Sancta Sedes ei strictissimo secreto requisitas facultates tradat, ne praeiudicet Apostolicae auctoritati, nec provocet indignationem imperatoris, sed ad desideratam eparchiarum (Leopoliensis et Peremysliensis) regulationem procedere posset. Dummodo auctoritate non espresse Apostolica, nec expresse Metropolitana, sed generice desuper competenti.[211]

Die 6 Augusti a. 1786 Episcopus Leopoliensis et Peremysliensis documenta subscripserunt, quibus in obsequium decreti a Gubernio die 10 Julii a. 1786 dati,[212] nonnullos decanatus mutuo dimiserunt,

---

Graeco-Uniti ad Premysliensem sedem nullo jure, atque adeo illegitime, utpote sine praevio Sedis Apostolicae permissu, ab Archiepiscopo Kioviensi Metropolitano totius Russiae translatus fuerit, quumque proinde R. P. Theodosius Rostocki Ordinis S. Basilii Magni Congregationis Ruthenorum per Serenissimi Regis Poloniae nominationem in Episcopum Chelmensem electus, et in Coadjutorem Archiepiscopi Metropolitani cum futura successione, eodem Serenissimo Rege annuente postulatus, promoveri minime possit, nisi sanata et rite peracta prioris Episcopi Chelmensis translatione, Sanctissimus Dominus Noster Pius VI ad relationem mei, infrascripti (Stephani Borgia S. C. de Propaganda Fide secretarii), ne Chelmensis Ecclesia suo orbata pastore ulterius remaneat, atque Premysliensi Cathedrali de legitimo Episcopo provideatur, praefatum Dominum Maximilianum Rylo a Chelmensis Ecclesiae vinculo absolvens, ejus translationem ad sedem Premysliensem hucusque nulliter factam, ejusque facta, si quae peregerit auctoritate Apostolica benigne sanavit et ad ulteriora procedi posse concessit ». ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, t. 149, f. 521; Cfr. Ibid., f. 67.

[207] « Novum hocce Eminentiarum Vestrarum Reverendissimarum singularis erga me benevolentiae documentum, magis magisque me devotum erga Sanctam Sedem efficaciter disponet,... ». APF, *Scritt. rif. nei Congressi Mosc. Pol. Rut.*, t. 15, f. 504.

[208] A. Petruševyč, *Litopys...*, P. II, p. 222; Cfr. Idem, *Cholmskaja eparchija...*, p. 294-5.

[209] APF, *Scritt. rif. n. Congressi Mosc. Pol. Rut.*, t. 16, fol. 96.

[210] ASV, *Arch., Nunz. Vars.*, t. 149, fol. 484.

[211] ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, t. 149, fol. 467.

[212] « Episcopo insinuatur, quod in omni casu recursus Romam facien-

ita ut eparchia Leopoliensis septem, Peremysliensis autem octo districtibus constare deberet.[213] Hanc novam eparchiarum divisionem Metropolita Smogorzewskyj confirmavit.[214]

Interea Episcopus Maximilianus suos labores pastorales continuabat.[215] Paucae tamen ex hac periodo extant epistulae, quarum una (11-IX-1788) ad S. Congregationem scripta petit, ut ieiunia pro clero populoque in sua eparchia diminuantur.[216]

Anno autem sequenti die 31 Augusti in suo diario scribebat, se paulo antea epistulam a P. Ważynskyj, episcopo-nominato Chelmensi, recepisse, qua Episcopus Ważynskyj, de habitu canonicorum neocreatorum in sua cathedrali scribens, demonstrabat fore scandalo Dissidentibus, si canonici neocreati, habitu relicto Orientalium, assumerent habitum catholicorum secundum usum S. Romanae Ecclesiae.[217]

Post obitum Imperatoris Josephi II (20-II-1790), in throno Viennensi Leopoldus II successit. Tunc duo Episcopi, Peremysliensis M. Rylo et Leopoliensis P. Bielanskyj, suos Vindobonam miserunt delegatos, [218] ut nomine Episcoporum totiusque cleri ac populi Imperatori Leopoldo II debitum homagium contestentur et iurium privilegiorumque tum a Regibus Poloniae tum a Josepho II Ecclesiae Unitae concessorum approbationem supplicent.[219]

In instructione Episcoporum delegatis data quindecim continentur petita, quorum praecipua sic sonant:

Ut unus ex Episcopis graeco-catholicis iuxta primaevam disciplinam Ecclesiae Orientalis in ditionibus Austriae ad dignitatem Metropolitae evehatur;

Ut iura, privilegia et decreta tum ab anterioribus Poloniae Regibus, tum ab Imperatore Josepho II data et firmata, praesertim aequalitatem rituum catholicorum respicientia, ab Imperatore Leopoldo II approbentur, id enim concordiam et tranquillitatem inter ipsos subditos plurimum firmare potest;

Ut scholae normales, sub inspectione Episcoporum existentes, etiam lingua nativa pro diversitate locorum donentur, neve in eodem oppido diversitas ritus diversitatem quoad idioma in schola normali secumfert.

Exauditis petitionibus Imperator Leopoldus eisdem benigne an-

---

di praecluduntur et intra 4 septimanas mutuae receptionis et recessionis instrumentum seu significationem, quod pro confirmatione ad Reverendissimum Metropolitam mitteretur ». APF, *Scritt. rif. n. Congressi Mosc. Pol. Rut.*, t. 16, fol. 75.

[213] Ibid., fol. 75; Cfr. fol. 82.

[214] ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, t. 149, fol. 472-475; Ibid., fol. 461-463; APF, *Scritt. rif. n. Congressi Mosc. Pol. Rut.*, t. 16, fol. 79.

[215] APF, *Scritt. rif. n. Congressi Mosc. Pol. Rut.*, t. 16, fol. 96.

[216] APF, *Scritt. rif. n. Congressi Mosc. Pol. Rut.*, t. 16, fol. 264.

[217] A. Petruševyč, *Cholmskaja eparchija...*, p. 11.

[218] Julianum Sporyng et Nicolaum Skorodynskyj.

[219] M. Harasiewicz, *op. cit.*, p. 650-653.

nuit die 26 Junii a. 1790, exceptis tamen his, quae erectionem Metropoliae Capitulorumque spectabant.[220]

Anno 1792 die 16 Septembris Episcopus Maximilianus secundas primitias sui sacerdotii celebrabat. Hac de causa eius Vicarius Generalis, Julianus Sporyng, orationem panegyricam edidit, Episcopo Maximiliano dedicatam, in qua labores Maximiliani Rylo enumerat.[221]

Denique exantlatis tam multis laboribus tantisque periculis superatis Pastor hic die 22 Novembris a. 1793,[222] 79 annos natus, Peremysliae mortuus est, et sepultus in crypta ecclesiae cathedralis Peremysliensis, sub altari SS. Salvatoris.[223]

---

[220] M. Harasiewicz, *op. cit.*, p. 631.

[221] A. Petruševyč, *Litopys...*, P. II, p. 340.

[222] Hanc datam Schematismus Eparchiae Peremysliensis ex an. 1904 praebet et in p. XXXIII significat, omnes Schematismos eiusdem eparchiae ab anno 1830 et secundum eos historiographi non recte affirmabant, Episcopum Rylo anno 1794 mortuum esse, nam liber metricalis mortuorum parochiae Peremysliensis supracitatam datam habet.

[223] *Sematyzm vseho klyra hreko katolîčeskoho eparchij sojedynenych Peremyskoj, Sambirskoj i Sianickoj*, p. XXXIII. Cfr. A. Dobrjanskyj, *Istorja episkopov trech sojedynenych eparchij Peremyšlskoj, Samborskoj, Sanockoj*, Lvov, 1893, p. 66; A. Petruševyč, *Cholmskaja eparchija...*, p. 7.

II. DOCUMENTA COLLECTANEA

VITAE BASILIANORUM RECENTIORUM

JOSAPHAT KOCYLOVSKYJ OSBM
EPISCOPUS PEREMYSLIENSIS

(1876-1917-1947)

P. Irenaues Nazarko OSBM.

JOSAPHAT KOČYLOVSKYJ OSBM EPISCOPUS PEREMYSLIENSIS

(1917-1947)

Nomen Episcopi Peremysliensis Josaphat Kocylovskyj OSBM suo tempore per totam Europam et extra illam late notum fuit. Revera qui semel hunc venerabilem Hierarcham viderit, difficile vividam impressionem ex mente sua delere posset, quam ille vir ecclesiasticus sua persona producere solebat. Iam tota eius externa apparentia (eminens robustaque statura, barba patriarchalis, pulcherrima vox, modus agendi aristocraticus) internam eius indolem praeseferebat. Ep. J. Kocylovskyj fuit vir magnis dotibus corporis et animi omnino eminens et pro Ecclesia catholica Ucrainorum bene meritus. Huius viri vita, gesta et merita digna sunt, ut ea hic summatim saltem et per summa capita recolamus posteritatique memoria retinenda tradamus.

1. Iuventus.

Josephus Kocylovskyj natus est die 3-a Martii anni 1876 [1] in magno Galiciae vico Pakosziwka (Lemkivščyna), ubi pater eius latifundia habebat. Absolutis quattuor scholae elementaris annis, studia humaniora in gymnasio publico in oppido Jaslo peregit, quae anno 1895 examine maturitatis absolvit. Postmodum studiis iurisprudentiae Leopoli operam dabat, ac deinceps, ut legi militari satisfaceret, Josephus Kocylovskyj militiae nomen dedit. Absoluta schola militari ad gradum centurionis in artilleria promotus est. Sed honoribus et vita militari non contentus Josephus anno 1901 servitium militare reliquit et sicut S. Ignatius servitium Christi Regis elegit. Eodem anno (1901) ad studia theologica persolvenda Romam profectus est.

2. Studia Theologica.

Romae Josephus Kocyloskyj, tamquam Alumnus Pontificii Collegii Rutheni, in Universitate Urbaniana de Propaganda Fide phi-

[1] *Catalogus Ordinis Basiliani S.ti Josaphat*, Zovkva 1932, p. 72.

losophiae ac theologiae studia persolvit. Inter alumnos Josephus semper primum locum tenebat tum ratione suorum talentorum, tum etiam assiduitate ac profectu in scientiis philosophicis et theologicis. Anno 1903 lauream in Philosophia, et anno 1907 in Theologia adeptus est, dieque 11 Junii 1907 in Patriam rediit opinione universali prosecutus, ut « juvenis magni ingenii et pectoris, ac virtutum solidarum ». Hac periodo duo per annos fungebatur munere Praefecti « maxima cum laude », ut dicit Chronica Alumnorum dicti Collegii.

Hoc tempore Alumni Seminarii Leopoliensis periodicum « *Oriens Catholicus* » in lucem edere ceperunt, quo exemplo alumni « Pontificii Collegii Rutheni » de Urbe ducti, proprium periodicum sub titulo « *Analecta Alumnorum Collegii Rutheni Romae* » typis edunt. Editor et moderator huius periodici primus erat Josephus Kocylovskyj - tunc auditor II-i anni Theologiae. Periodicum illud Josephus magna ex parte ipse redigebat multosque articulos, praesertim philosophicos conscripsit. Praetera in Collegio officium Bibliothecarii tenebat. Tempore studiorum in Urbe Josephus varia suscepit itinera, inter quae mentionis digna meretur eius peregrinatio ad loca sacra Palaestinae, anno 1906 ductu Metropolitae A. Szeptyckyj facta. Quae peregrinatio magnum influxum in totam vitam Josephi habuit. Etiam ipsa Metropolitae Szeptyckyj persona magnum obtinet momentum in vita Josephi. Metropolita enim fere quotannis Romam veniebat semperque per aliquot hebdomadas in Collegio una cum alumnis commorabatur, exercitia spiritualia pro alumnis dirigebat pluresque exhortationes pro illis tenebat, quae in anima Josephi semper zelum et quendam enthusiasmum supernaturalem inflammabant. Hic forsitan querenda esset eius ad Ordinem Basilianum S.ti Josaphat vocationis causa, origo et incitamentum.

Anno 1906 morabatur Romae per aliquot hedbomadas Episcopus Stanislaopoliensis, Msgr. Gr. Chomyšyn, cum quo Josephus frequenter excursiones faciebat perutilesque conversationes tenebat. Vividam etiam impressionem in animam Josephi fecit eius privata audientia apud Summum Pontificem B. Pium X., die 27-a Januarii anno 1907 habita.[2]

Anno 1907 alumni ucraini Romae degentes circulum scientificum fundaverunt, cuius scopus erat tres saltem quotannis scientificas tenere praelectiones. Primus huius circuli praeses Josephus Kolycovskyj fuit. Ex omnibus suis in Urbe professoribus Josephus semper maxime corde memoriaque tenebat Professorem Lepicier (postea S.R.E. Cardinalem), cuius praeclaras praelectiones semper grato animo commemorabat.[3]

---

[2] I. H., *Dvaciat' lit na vladyčim prestoli,* (in « *Juvilejnyj Almanach Ukr. Kat. Bohosloviv Peremyskoji Eparchiji* », 1937, p. 67).

[3] Ex *Epistula Excell. Constantini Bohačevskyj,* Philadelphia, die 16 Septembris 1951.

Anno 1907 patriam reversus sacros ordines Stanislaopoli suscepit. Sacerdos ordinatus est die 6-a Octobris 1907 statimque ei munus professoris Theologiae dogmaticae in Seminario Stanislaopolitano commissum fuit. Praeterea etiam Vicerector Seminarii nominatus est. Eius praelectiones propter claritatem, concinnitatem et profundam rei scientiam libenter ab alumnis audiebantur ipsaque Professoris et Vicerectoris persona reverentiam et amorem apud alumnos conciliavit.

3. In Monasterio.

Attamen J. Kocylovskyj non diu Stanislaopoli munere professoris functus est, nam die 2-a Octobris 1911 magna cum admiratione omnium Krechoviam venit, ubi in monasterio PP. Basilianorum novitiatum ingressus est. Sex mensibus ab ingressu elapsis, vestem religiosam accepit, simulque nomen monasticum S.ti Josaphat assumpsit eumque tamquam patronum vitae religiosae elegit. Iam a primis vitae monasticae principiis exemplo virtutum effulsit. Quamquam omnibus novitiis longe senior et titulis tum militaribus tum scientificis ornatus erat nihilominus sicut ultimus omnium existimari contendebat. Quapropter omnia exercitia, etiam humillima, quae in novitiatu peragi solent, una cum aliis novitiis explebat et omnibus suis in Ordine confratribus bono exemplo praelucebat. Praesertim spiritu humilitatis et mortificationis eminebat et, testimonio eius ex novitiatu confratrum, saepius in hebdomada in planca dormiebat, quam austeritatem ut Episcopus semper retinuit. Tempore novitiatus sponte sua bis exercitia spiritualia per 30 dies peregit.

Expleto novitiatus tempore die 16-a Maii anni 1913 vota simplicia Krechoviae emisit, et statim variis in Ordine officiis fungebatur. Primum Lauroviae alumnos sui Ordinis S. Theologiam magno cum fructu et laudibus ex parte suorum discipulorum docebat. Dein ad monasterium Leopolim vocatus plures missiones pro populo, exercitia spiritualia pro sacerdotibus tradebat, necnon in aliis vitae sacerdotalis muneribus sedulo laborabat. Magnum zelum in erudienda iuventute et in exhortandis suis confratibus ope exercitiorum spiritualium monstravit.

Primo bello mundiali a. 1914 exorto, ac dein Leopoli ab exercitu rossiaco occupata, P. Josaphat Kocylovskyj una cum aliis confratribus in exilium Vindobonam sese contulit. Quo tempore in exilio permulti quoque ex variis Galiciae Seminariis alumni dispersi inveniebantur; unde P. Platonides Filas OSBM (hoc tempore Provincialis Ordinis et Administrator Apostolicus pro fidelibus ritus byzantino-slavici ex Galicia exulibus), auxilio Msgr. Antonii Stojan Seminarium pro alumnis ex Galicia Kromerižiae in Moravia constituit. Rector huius Seminarii P. Josaphat Kocylovskyj nominatus est. Die 24-a Aprilis, anno 1915, 64 alumni duce Patre

Rectore J. Kocylovskyj Kromerižiam venerunt,[4] quibus postea undecim alii alumni ex Collegio Rutheno Roma provenientes se adiunxerunt. Inter alumnos Patris J. Kocylovskyj Kromerižiae imprimis nominandus est Joannes Bučko, nunc Visitator Apostolicus pro Ucrainis in Europa Occidentali degentibus. Ex 75 alumnis 41 proveniebant ex dioecesi Peremysliensi, 20 ex archidioecesi Leopoliensi, 13 ex dioecesi Stanislaopoliensi et unus ex Canada. Collegium Professorum duodecim habuit membra. Msgr. Dr. Antonius Stojan (postea Archiepiscopus Olomuciensis et Metropolita Moraviensis) Kromerižiae hoc tempore munere Praefecti studiorum fungebatur et semper Patri J. Kocylovskyj auxilio et consilio in administrando seminario praesto erat. Revera administratio seminarii tempore belli haud facilis erat. P. J. Kocylovskyj praeter offiicium Rectoris Professoris etiam munere fungebatur, necnon practice totam alumnorum spiritualem directionem in suis habebat manibus, quia Director Spiritualis Sac. Nazarius Czaban propter aetatem provectam et infirmitatem suo munere fungi impeditus fuit.

Statim post suum et alumnorum Kromerižiam adventum P. J. Kocylovskyj exercitia spiritualia pro alumnis magno cum fructu tenuit. Tempore anni scholastici P. Rector quotidie alumnis puncta meditationis explicabat, Missam aliasque ecclesiasticas functiones celebrabat, exhortationes et alia huiusmodi tenebat. Mensibus Maio et Junio officia in honorem B. Virginis Mariae et Sacratissimi Cordis Jesu cum brevibus orationibus celebrabat. Hisce officiis multi fideles ritus latini ex urbe Kromerižia libenter assistebant occasionemque habebant ritum byzantinum-slavicum cognoscendi.[5] Praesertim cantus liturgicus alumnorum ipsiusque Rectoris valde eis perplacuit. Quae omnia magnum influxum in Bohemos exercebat, quibus ante omnia idea unionistica cordis erat. Ipsa Kromerižia non longe distat a Velehrad, prima sede episcopali S. Methodii, Slavorum Apostoli, ubi erat etiam centrum actionis unionisticae, et celebrum Congressuum pro S. Unione Ecclesiarum.

P. Josaphat magna aestimatione, reverentia et amore apud alumnos gaudebat, nec non recreationes et deambulationes una cum suis alumnis faciebat, ideoque - ut scripsit unus ex eius alumnis - factus est « anima et spiritus totius Seminarii ».[6] Iusta igitur erat laus, quam Patri J. Kocylovskyj ad finem anni scholastici 1916 P. J. Feščak OSBM, Delegatus Administratoris Apostolici P. Pl. Filas OSBM, publice tribuit dicendo nempe Patrem Josaphat « sapienter et prudenter hoc Seminarium regisse et pro alumnis verum patrem sese exhibuisse ».[7]

---

[4] A. Perchač, *Spomyny z pobutu hreko-katolyckoji Duchovnoji Semynariji v Kromeryži 1915 r.*, (in « *Almanach Ukr. Bohosloviv* »), Peremyšl 1937, p. 117-135.

[5] Ibid., p. 125.

[6] Ibid., p. 126.

[7] Ibid., p. 126.

Kromerižiae P. Kocylovskyj una cum suis alumnis unum per annum remansit (1915-1916). Anno 1916 mense Maio Galicia brevi tempore recuperata et ab occupatione Russorum liberata fuit. Ideo alumni exules in patriam suam mense Septembri 1916 reverti potuerunt. P. Josaphat, iam antea Galiciam reversus, die 30-a Junii anni 1916 sollemnem votorum professionem emisit. Paulo antea, die 28-a Aprilis 1916, mortuus est Peremysliae Episcopus huius dioeceseos Msgr. Constantinus Czechovyč. In eius locum successor in sede episcopali Peremysliensi nominatus est die 28-a Novembris 1916 P. Josaphat Kocylovskyj. Qua Episcopus Nominatus P. Josaphat commissioni pro recognitione reliquiarum S.ti Josaphat deputatae assistebat et ex hoc tempore maiore adhuc cultu et veneratione erga suum coelestem Patronum exardescit.

4. In Sede Episcopali.

Die 23-a Septembris anno 1917 P. Josaphat Kocylovskyj OSBM consecrationem episcopalem e manibus Metropolitani Leopoliensis Excell. Andreae Szeptyckyj, Episcopi Stanislaopoliensis Gr. Chomyšyn et Episcopi Kryževacensis Dionysii Niaradi accepit, assistentibus Episcopo Luceoriensi J. Bocian, et septem Episcopis ritus latini, Canonico Antonio Stojan necnon aliis civilibus et militaribus magistratibus. Clerus hucusque vacantis dioeceseos Peremysliensis, Samborensis et Sanocensis novum Episcopum magno cum gaudio recepit eique pretiosam mitram episcopalem et baculum pastorale donavit.

Primi passus novi Episcopi statim animos cleri et fidelium conciliaverunt. Tempore belli multi sacerdotes Ucrainorum in Galicia a Gubernio Austriaco sub praetextu infidelitatis erga Gubernium et « russophilismi » incarcerati et extra patriam (in campum Talerhof) deportati sunt. Simili modo etiam multi fideles ex quacumque vel minima suspectione iniuste in carceribus detenebantur. Novus Episcopus magno zelo defensioni sacerdotum et fidelium iniuste opressorum sese dedit et pro eorum liberatione strenue pugnabat.

Causa belli tota fere dioecesis Peremysliensis devastata fuit. Perplures ecclesiae parochiales in bello combustae vel spoliatae erant. Ut huic rerum statui provideri posset, Episcopus Josaphat adhuc ante finem belli anno 1918 omnes sacerdotes in sic dicta organizzatione « Eparchijalna Pomič » coadunavit. Quae organizzatio pro scopo habuit: omnes sacerdotes ad communem actionem pro bono populi tum spirituali tum materiali coadunare et praesertim parochiis earumque ecclesiis bellicis operationibus devastatis efficax subsidium praestare.[8] Organizzatio « Eparchijalna Pomič » in varias divisa erat sectiones: 1-ma, quae curam habebat orphano-

[8] Cfr. *Epistulam Excell. Const. Bohačevskyj*, die 15 Novembris 1951, Philadelphia.

rum, 2-da, quae pro reaedificandis ecclesiis sollicita erat, 3-tia pro missionibus, 4-ta pro edendis libris et periodicis catholicis. Praesertim omnem novus Episcopus adhibebat curam, ut quamprimum destructae tempore belli ecclesiae reconstrui possent. Suis sacerdotibus iam a primis in eparchia sua regiminis initiis enixe commendabat iubebatque, ut in unaquaque parochia Apostolatus Orationis et aliae huiusmodi religiosae Confraternitates et Sodalitates erigerentur.

Praeclara illa reorganizzationis et reaedificationis initia ex parte novum bellum frustravit, quod sub fine anni 1918 inter Republicam Poloniae et Republicam Ucrainae Occidentalis exortum est.

Bellum ucraino-polonicum novas devastationes pro dioecesi Peremysliensi secum tulit. Dioecesis enim in duas divisa erat partes, quarum altera (occidentalis) a Polonis occupata erat, altera vero pars (orientalis) ab Ucrainis gubernabatur. In parte occidentali dioeceseos, ubi ipsa Peremyslia sita erat, ipse Episcopus remansit, ut esset in diebus belli pro clero et populo solatium et confortamentum, pro parte vero orientali Episcopus Josaphat Administratorem in persona Patris Caroli Fedorovycz, decani Drohobyčensis nominavit. Tunc temporis Episcopus Kocylovskyj suum Capitulum dioecesanum reorganizzavit. Et tunc quidem, die 11-a Octobris 1918, P. Constantinus Bohačevskyj (hodiernus Exarcha Apostolicus pro Ucrainis in Statibus Foederatis Americae Septentrionalis degentibus) Canonicus graemialis et parochus cathedralis nominatus est.[9]

Sedato bello et pace stabilita, Episcopus Josaphat pastorales visitationes in sua Eparchia vastissima instituit, qua occasione apostolici zeli, paternae curae ac solicitudinis de iuventute educanda nec non benignae largitatis erga pauperes specimina egregia dedit. Ubique et in maxime distantes quoque et derelictas suae Eparchiae partes veniebat, evangelium praedicabat, catechismum explicabat, clerum populumque exhortabat. Visitationes illae pastorales animum Episcopi ingenti dolore afficiebant; ubique enim devastationes parochiarum, destructiones ecclesiarum et residentiarum parochialium necnon ruinam moralem populi oculis suis videbat. Haec omnia Episcopus aegro animo ferebat ita, ut morbo periculoso affectus iam ex hoc saeculo migrare putaretur. Attamen praecibus cleri sui et populi munitus Episcopus Josaphat valetudinem recuperavit (in Junio 1920)et munera sua post parvam interruptionem denuo reassumere potuit.[10]

5. De sacerdotum formatione solicitudo.

Unumquodque Seminarium in dioecesi, ad instar cordis in corpore humano, primum semper locum obtinet. Non mirum proinde,

---

[9] Ex *Epist. Excell. Const. Bohačevskyj*, die 16 Octobris, Philadelphia.
[10] Ibidem.

quod Episcopus Josaphat maxime de Seminario dioecesano instaurando sollicitus erat. Seminarium Peremysliense a suis primordiis, scilicet ab anno fundationis 1845 usque ad annum 1920, tantummodo clericos ultimi studiorum theologicarum anni (i. e. quarti) complectebatur. Alumni annorum inferiorum ordinarie studia sua in Seminario Leopoliensi persolvebant.[11] Iam Episcopi Josaphat Antecessor, ep. Const. Czechovyč,completum Seminarium Peremysliae construere coepit, sed belli causa constructio haec interrupta fuit. Episcopus Josaphat omnem adhibuit curam, ut hoc Seminarium quamprimum exaedificatum esset. Iam anno 1921, die 13 Decembris, Seminarium Eparchiale sollemniter benedictum fuit. Ita initio anni scholastici 1921/22 omnes alumni dioecesis Peremysliensis studia in proprio Seminario inchoare potuerunt. Deficientibus tamen in ipsis initiis mediis sustentationis professores aliique Seminarii officiales ex subsidiis parochiarum vicinarum sustentari debuerunt, ideoque ipsi muneribus parochialibus fungebantur. Sed anno 1925, a Gubernio Poloniae concordatu cum Sede Apostolica inito, haec precaria Seminarii Peremysliensis oeconomica conditio meliorata est. Episcopus Josaphat pro suis alumnis nova etiam Statuta et Regulas composuit, quibus Seminarium Peremysliense tum quoad modum formationis tum quoad vitam spiritualem tum denique quoad disciplinam bene ordinatum erat aliisque Seminariis catholicis bene formatis omnino ad latus poni potuit. Maximam curam habuit Episcopus de formatione spirituali alumnorum ideoque optimos semper viros et pios sacerdotes ad regimen Seminarii eligebat. Ita ad munus Rectoris Seminarii adhuc anno 1918 Gregorium Lakota in S. Theologia laureatum, virum doctum et pium, (postea episcopum-auxiliarem et generalem Vicarium dioeceseos Peremysliensis), promovit. Ex directoribus spiritualibus novi Seminarii nominandi sunt: P. Romanus Rešetylo (1921-1922), P. Johannes Višošević OSBM, qui in Seminario Apostolatum Orationis fundavit (1922); P. W. Hrynyk (1922-1928); et denique P. P. Denko (1928-1939). Etiam ad munus professorum in Seminario viros doctos et pietate insignes elegebat, et ut in posterum quoque dioecesi Peremysliensi idonei professores non deficerent, fere omni anno magis idoneos alumnos in celebriores mittebat Universitates, ut Romam, Oenipontem et Friburgam Helvetiorum, ad gradus academicos obtinendos.

Die 28-a Martii anni 1923 Seminarium Peremysliense Visitator Apostolicus P. Johannes Genocchi auctoritate Summi Pontificis visitavit. Apostolicus Visitator omnimo contentus fuit statu spirituali alumnorum, necnon eorum disciplina et in scientiis theologicis profectibus. In suis sermonibus Visitator Apostolicus florescentem Seminari Peremysliensis statum iure meritis Episcopi Josaphat attribuebat. Sub communi totius Seminari photographia

---

[11] Cfr. V. Hrynyk, *Ukrajinska katolycka Duchovna Seminarija v Peremyšli,* (in « *Almanach Ukr. Katol. Bohosloviv* »), Peremyšl 1937, p. 96-108.

haec Visitator Apostolicus significatu plena verba in memoriam scripsit: « Filii tui sicut novellae olivarum ». (Ps.)

Anno 1926 Rector Seminarii, Dr. Gregorius Lakota, Episcopus auxiliaris pro dioecesi Peremysliensi consecratus est, in eiusque locum Episcopus Josaphat Rectorem Dr. Basilium Pynylo nominavit. Quo regimine in Seminario Sodalitas Mariana fundata est (anno 1928). Ab anno 1929 usque ad annum 1935 munere Rectoris in Seminario Peremysliensi P. Vladimirus Gmytrasevyč fungebatur. Hoc tempore iussu Episcopi Josaphat studia theologica ad quinque annos extensa sunt. Ab anno 1935 usque ad initium secundi belli mundialis, anno 1939, munus Rectoris suscepit P. Dr. Johannes Kuzyč, alumnus Pontif. Collegii S. Josaphat, Romae.

Specialem mentionem meretur factum, quod pro historia Seminarii Peremysliensis et in genere pro tota dioecesi Peremysliensis summi erat momenti, nempe coelibatus obligatio pro alumnis Seminarii. Die 2-da Januarii 1925, post octiduana exercitia spiritualia, Episcopus Josaphat, congregatis omnibus alumnis Seminarii, notam fecit suam desisionem in posterum nullum clericum ad maiores Ordines admittendi, qui libere et firmiter per totam suam vitam coelebs remanere non voluerit. Haec Episcopi decisio, uti notum est, magnam repercussionem in tota dioecesi habuit: « multi et indigni articuli contra Episcopum in ephemeridibus prodierunt, in oppidis protestationes factae sunt, immo provocata fuit secessio alumnorum e Seminario Peremysliensi et Stanislaopoliensi, quae actio culmen suum attigit in accusatione Episcopi ex parte civium peremysliensium coram Sede Apostolica ».[12] Hisce non obstantibus numerus alumnorum in Seminario Peremysliensi continuo crescebat: ita numerus alumnorum, qui anno 1925 solum 52 personas continebat, crevit anno 1926 in 56, anno 1927 in 76 (quibus adnumerandi sunt etiam duo alumni, qui Oeniponti et quattor, qui Romae studia faciebant). Anno 1930 in Seminario Peremysliensi inveniebantur 127 alumni, quibus addendi sunt 4 Romae et 1 Oeniponti studentes. Ante secundum bellum mundiale (1938) 157 alumni in Seminario aderant.[13]

Episcopus Josaphat sicuti Pastor Bonus magnam suorum alumnorum curam habuit: eos persaepe visitabat, paterne instruebat monebatque, praesertim vero enixe conabatur, ut in cordibus eorum sincerum amorem et devotionem erga SS. Cor Jesu, Beatissimam Virginem Mariam, s. Joseph et s. Josaphat inflammaret. Saepe ipse pro alumnis exercitia spiritualia tenebat. Annum scholasticum longiorem fecit et in cursum praelectionum theologicarum asceticam et mysticam introduxit necnon circulos scientificos omni mense in materia theologiae moralis et pastoralis.

---

[12] Cfr. P. Platon Martyniuk OSBM, *Nepodilne Serce Svjaščenyka v službi Boha i Cerkvy*, Žovkva 1935, p. 223.

[13] Cfr. I. H., *Dvaciat lit...*, (in « *Juv. Alm. Ukr. Katol. Bohosloviv Peremyskoji Eparchiji* »), Peremyšl 1937, p. 86.

Fructus suorum laborum Episcopus Josaphat ipse suis oculis contemplare poterat. Ex eius enim Seminario permulti sacerdotes docti, pii et bene formati prodierunt, in quorum numero praeter diversarum s. Theologiae disciplinarum, Professores plurimi dignitatibus ecclesiasticis ornati inveniuntur, qui Ecclesiae suae fideliter addicti persecutionem vel etiam mortem passi sunt. Ipse Episcopus personaliter suo pastorali munere durante 388 alumnos saecurales et 88 clericos ex Ordine s. Basilii Magni ordinavit. Ex hoc ordinatorum numero 210 alumni in coelibatu ordinationem sacerdotalem acceperunt.

Non minorem zelum ostendebat Episcopus Josaphat in promovenda vita spirituali suorum sacerdotum. Valde sollicitus erat, ut sacerdotes omnia sua officia et praesertim obligationes vitam spiritualem spectantes ad normam canonum [14] serio tractarent. Ideo per vicarios foraneos (decanos) in eorum disciplinam invigilabat, verbis et litteris pastoralibus sacerdotes exhortabat, varias dabat instructiones, convocabat conferentias sacerdotum, participabat in congressibus decanatuum et quotannis triduana exercitia spiritualia pro clero fieri iubebat, quibus et ipse participabat. Pro sacerdotibus iunioribus examina ex disciplinis theologicis ante concursum introduxit. Summatim dicendum est, Episcopum Josaphat omnem semper adhibuisse curam, ut sacerdotes suos tum in vita spirituali, tum in zelo apostolico tum in scientiis theologicis ad bonum et utilitatem Ecclesiae promoveret.

6. In labore apostolico pro Eparchia.

Episcopus Josaphat magno zelo animarum sibi divinitus commissarum per totam suam vitam eminebat. Cum s. Paulo poterat dicere: « Caritas Christi urget nos » (2. Cor., 5, 11).

Imprimis magni aestimabat labores monachorum et monialium in sua dioecesi. Sicut ipse exemplaris monachus extitit et nunquam spiritum religiosum amisit, ita etiam speciali cura monasteria et domos religiosas tum virorum tum foeminarum amplectebatur. Primum locum obtinent monasteria PP. Basilianorum. Persaepe illa invisebat, praesertim monasterium Krechoviae, in quo ipse suum novitiatum fecit. Hoc monasterium libenter « suum Nazareth spirituale » nominabat. Quotannis in sollemnitatibus s. Nicolai (19-22. Maii), coelestis huius monasterii Patroni, participabat et in hoc monasterio sepultus esse voluit. Etiam alia monasteria Basilianorum, quae in eius dioecesis confinibus sita erant, uti v. gr. Dobromyl, Zovkva, Krystynopol, Drohobyč saepe et libenter visitabat. Sua octiduana exercitia spiritualia semper in aliquo ex monasteriis Basilianorum peragebat. Cum PP. Basiliani Peremysliae novam ecclesiam construere coeperunt, Episcopus Josaphat largi-

---

[14] Cfr. CJC, can. 124 sq.

ter eis subsidium materiale et protectionem moralem suppeditabat. Ad missiones et exercitia spiritualia tum pro clero tum pro populo libenter PP. Basilianos invitabat.

Paterna etiam cura Congregationes monialium in sua Eparchia protegebat. Immo ipse novam religiosarum Congregationem (« Congregationem S.ti Joseph ») fundavit, pro illa regulas composuit approbationemque Sedis Apostolicae huic Congregationi impetravit. Ante bellum 1939 exortum haec nova Sororum Congregatio iam fere numerum 50 attigit. Protegebat etiam monasteria Monialium Basilianarum, quae in Peremysliensi dioecesi magna habebant gymnasia et instituta pro puellis (Drohobyč et Javoriv). Episcopus Josaphat pluries capitulis Monialium Basilianarum praesidebat, necnon paterna benevolentia domos et residentias Sororum Servularum B. Virginis Mariae Immaculatae amplectebatur. In Peremysliensi dioecesi domus materna et novitiatus illius in Galicia numerosae foeminarum Congregationis in oppido Krystynopil inveniebantur.

Episcopus Josaphat valde sollicitus erat pro iuventute religiose educanda. Peremysliae iam a longiore tempore « Ucrainum Institutum pro puellis », adhuc cura Episcopi M. Stupnyckyj fundatum, existebat. Praeses honorificus huius Instituti erat semper Episcopus Peremysliensis. Cum Episcopus Josaphat in religiosam aedificationem huius Instituti magis insistere conaretur, machinationibus nonnullorum orthodoxorum hanc praesidentiam in Instituto amittere coactus est.

Sub eius regimine et tutela ortae et multiplicatae sunt in dioecesi religiosae Sodalitates iuventutis. Ultimis ante bellum annis (1937-1938) in dioecesi Peremysliensi 87 Sodalitates Marianae cum 5,380 membris extabant. Ipse Episcopus circa 50 Sodalitates erexit. Ex hoc numero maior pars (62 Sodalitates) complectebatur iuventutem scholarum mediarum. In eparchia Peremysliensi nullum dabatur gymnasium sine huiusmodi Sodalitate.[15] Bene perspexit magnum influxum exercitiorum spiritualium, praesertim exercitiorum clausorum in animas iuventutis ideoque praesidi sodalitatum Marianarum (auctori huius articuli) quotannis non exiguam faciebat donationem ad exercitia spiritualia clausa peragenda. Itaque unoquoque anno 4-6 series exercitiorum pro iuventute in urbibus: Peremyšl, Javoriv et Drohobyč peragebantur, in quibus circa 150 iuvenes studentes participabant.

Etiam pro infantibus, praesertim orphanis, Episcopus Josaphat magnam habebant curam. Ipse multa orphanotrophia fundavit et directioni monialium commisit. Sic anno 1938 in dioecesi Peremysliensi 34 orphanotrophia (cum duo millibus orphanorum) sub directione Sororum Servularum Immaculatae Virginis Mariae et 14 orphanotrophia (cum 850 ophanis) sub cura Sororum S.ti Jo-

---

[15] Cfr. « *Vistnyk Marijskych Tovarystv* », IV (1932) 1-2, Lviv, p. 17-19.

sephi inveniebantur.[16] Ut in cordibus infantium amorem erga Chrsitum in Sanctissimo Altaris Sacramento foveret augeretque, Episcopus in Congressibus sic dictarum Cruciatarum Eucharisticarum, qui Krechoviae, Lauroviae et Javoroviae celebrabantur, personaliter participabat.

Neque hoc loco praetereunda est pugna Episcopi contra religiosos sectarios, qui in dioecesi eius doctrinam suum propagare conabantur. Tempore primi belli mundialis (1914-1918) variis de causis fundamenta fidei apud populum labefactata sunt. Hoc ansam dedit, quod variae sectae (baptistarum, « stundistarum », sabatum observantium etc.) ortae sunt. Episcopus Josaphat statim imminens periculum perspexit ideoque omnibus viribus conabatur, ut sacerdotes ope catechesis et praedicationis populum in doctrina catholica instruerent et strenue contra sectas pugnarent. Ideo sacerdotibus strictam imposuit obligationem populum in Ecclesia per cyclos sermonum, per missiones et recollectiones in veritatibus fidei catholicae confirmare. Brevi tempore fere in unaquaque parochia iussu Episcopi peracta est s. missio magno cum fructu pro fidelibus. Saepe fiebat, quod ipse Episcopus ad finem missionis adveniebat et unam alteramve concionum tenebat, populum ad fidelitatem erga Christum eiusque veram Ecclesiam exhortabat et denique a populo votum fidelitatis et perseverantiae in fide catholica recipiebat. Hac occasione notare volumus, in dioecesi Peremysliensi cura Episcopi ab anno 1921 usque ad annum 1935 425 missiones, 67 exercitia spiritualia et 2 cursus missionarios pro sacerdotibus peracta fuisse.[17]

Ut efficacius contra sectas ageret Episcopus Josaphat curavit, ut contra eas etiam ope librorum et ephemeridum pugnaretur. Itaque eius cura « Eparchijalna Pomič » supra 30 varios libros contra sectas edidit, itemque consilio Episcopi ex typographia PP. Basilianorum in urbe žovkva varii numeri sic dictae « Bibliothecae religiosae aeducationis » in lucem prodierunt. Labentibus annis evolutio sectarum in dioecesi Peremysliensi non solum omnino impedita, sed etiam fracta fuit ita, ut Episcopus Josaphat in regionibus olim ex toto vel ex parte sectariis variis fideliter addictis tamquam dux triumphans magno cum gaudio populi denuo se recepi posset.

7. Media moderna in activitate episcopali.

Episcopus Josaphat in sua episcopali activitate mediis modernis usus est. Iam supra mentionem fecimus, quantopere de catholica iuventutis organizatione, de Sodalitatibus Marianis, de mis-

---

[16] Cfr. O. M. Dorockyj, *Preosv. Josafat Kocylovskyj suproty sektantstva.* (in « *Almanach...* », Peremyšl 1937, p. 95).

[17] *Dvacial' lit na vladyčim prestoli...*, p. 75.

sionibus et exercitiis spiritualibus clausis sollicitus erat. Praeterea alia media essent commemoranda, quibus Episcopus usus est ad vitam christianam apud suum clerum et populum fovendam et confortandam.

Primo loco nominanda est « pressa » catholica. Sciens bene, quantum influxum in animam populi verbum typis editum producere solet, Episcopus Josaphat « pressam » catholicam magnopere commendabat. Tres vel quattuor eius litterae pastorales de hoc themate tractant. Consilio et subsidio Episcopi Peremysliae per aliquot annos ephemerides hedbomadariae sub titulo: « Ukrainskyj Beskyd » in lucem prodiebant, quae bonos habebant articulos et usque ad initium belli (anni 1939) magnam diffusionem habebant.

Sumptibus dioecesis Episcopus edebat periodicum dioecesanum trimestrale: « Peremyski Eparchijalni Vidomosti ». In hoc periodico praeter varias ordinationes, decreta, promotiones, eventus et notitias dioecesim respicientes iuris publici factae sunt litterae pastorales Episcopi, variis ex occasionibus et ad varios fidelium status scriptae. Extant circa 100 litterae pastorales, ex quibus multae de veneratione et cultu S.ti Josaphat (10), S.ti Joseph (4), Sacratiss. Cordis Jesu (5), Beatissimae Virginis Mariae (5) tractant, in aliis vero de variis quaestionibus et actualibus argumentis sermo fit, v. gr. de « pressa » catholica, de Actione Catholica, de variis catholicis organisationibus, de catechisandis parvulis, de modo praedicandi verbum divinum, de falsis prophetis, de educatione iuventutis, de familia etc. Pro usu et aedificatione sui cleri Episcopus fecit translationem ucrainicam libri S. Luisae Margarethae de la Touche (gallice scripti) sub titulo: « Sacratissimum Cor Jesu et sacerdotium » (žovkva 1928).[18]

Alterum medium modernum, quo Episcopus in sua episcopali activitate usus est, constitutio Actionis Catholicae fuit. De hoc argumento Episcopus aliquot litteras pastorales conscripsit et praeterea multi articuli de hac materia in « Peremyski Eparchijalni Vidomosti » in lucem prodierunt. Die 24-a Martii 1931 Episcopus Josaphat « Diocesanum Institutum Actionis Catholicae Peremysliae » canonice erexit simulque Statutum generale de Actione Catholica, quod in conferentia totius graeco-catholici Episcopatus, die 3-a Januarii 1931 habita, ortum suum habuit, pro sua dioecesi introduxit et confirmavit. Insuper iussu Episcopi anno 1934, a die 4-a usque ad 7-mam Augusti, locum habuit specialis cursus de Actione Catholica pro sacerdotibus dioecesanis. Omnes praelectiones, sermones et discussiones huius cursus editae sunt anno 1935 in libro separato, cuius titulus erat: « Duspaštyrskyj Kurs Katolyckoji Akciji v Peremyšli ».

Tamquam princeps nationis ucrainicae Episcopus Josaphat eam oppressam strenue defendebat. Contra machinationes Guber-

---

[18] *Presvjate Serce Chrystove i svjaščenstvo,* Žovkva 1928.

nii semper eius iura tum in campo ecclesiastico, tum etiam in campo culturali, politico et nationali defendebat. Aegro animo itaque ferebat omnes machinationes gubernii polonici contra populum, linguam et ritum suae nationis. In regionem Lemkivščyna, ubi motus « russophilus » et schismophilus crescere coepit, optimos sacerdotes mittere conabatur, qui spiritu catholico et nationali imbuti erant. Ipsemet saepe hanc regionem visitabat eiusque persona nunquam popularitatem et amorem fidelium ibidem amisit, etiam postquam regio haec a dioecesi Peremysliensi separata et Apostolicum Administratorem proprium nacta est.

Persona Episcopi valde nota fuit etiam extra limites Galiciae; nam Episcopus occupatus laboribus in Eparchia sua, nequaquam neglexit contactus internationales. Saepe enim in variis Congressibus participabat, e. gr. in Congressu Eucharistico Budapestino, in Conventibus unionisticis in Velehrad, in conferentiis unionisticis in Pinsk et in aliis huiusmodi Congressibus. Saepe etiam visitabat Austriam, Helvetiam et imprimis Urbem Aeternam, ubique S. Unionem et bonum suae Ecclesiae et nationis pro viribus promovebat.

8. Persecutiones et mors Episcopi pro Ecclesia.

Tres sunt periodi, quibus vita fere omnium in vinea Domini cultorum complecti solet: vita abscondita in iuventute, labores in vinea in aetate matura et denique dolores aetatis provectae. De duabus prioribus periodis Episcopi Josaphat iam supra sermonem fecimus. Nunc restat nobis, ut etiam de ultima eius vitae periodo pauca dicamus.

Imprimis Episcopus Josaphat, Deo ita permittente, non fuit liber a doloribus physicis. Ter in sua vita gravi morbo affectus erat ita, ut iam in periculo mortis inveniretur. Prima vice anno 1920 gravi typhi morbo aegrotabat; secunda vice affectus erat acuta tuberculosi anno 1926 et deinde anno 1939 Vindobonae gravem operationem faciei subire debuit. Sed adhuc maiores debuit perpeti, dolores nempe morales. Iam supra locuti sumus de « Ucrainico Instituto Puellarum », ex cuius praesidentia homines malitiosi Episcopum expulerunt et ita conamina Episcopi de religiosa puellarum educatione frustaverunt.

Adhuc maiori dolore affecit Episcopum iniuria a civibus Peremyliensibus passa, qui, uti supra iam notavimus, Episcopum suum coram Sede Apostolica accusaverunt. Ansam huic accusationi dedit coelibatus questio. In accusatione contra Episcopum 28 enumerabantur obiectiones, quarum praecipua erat, Episcopum introductione coelibatus traditionem Ecclesiae et populi Ucrainorum violenter fregisse. Hac occasione variae calumniae contra Episcopum, praesertim in hebdomadario Peremysliensi « Ukrainskyj Holos », in lucem prodierunt. Attamen Sedes Apostolica, omnibus ac-

cusationibus bene perpensis, Episcopi innocentiam defendit probavitque omnes accusationes contra illum omni fundamento carere.[19]

Sed Golgotha Episcopi Josaphat, vero sensu, tantummodo post exortum bellum anno 1939 incoepit. Eodem enim anno, mense Septembri, exercitus Unionis Sovieticae orientalem partem Galiciae una cum urbe Peremyšl occupavit. Dioecesis Peremysliensis necessario in duas dividi debuit partes: in orientali dioeceseos parte cum sede Peremysliae ipse Episcopus Josaphat remansit, in occidentalem vero partem cum sede Jaroslaviae missus est eius Episcopus auxiliaris, Msgr. Gregorius Lakota. Dum occidentalis pars occupata erat a Germania hitleriana, orientalis pars dioeceseos Peremysliensis una cum tota Galicia orientali Reipublicae Ucrainae Sovieticae adnexa est.

Iam statim post occupationem sovieticam persecutio Ecclesiae incoepit. Primo loco gubernium sovieticum Seminarium dioecesanum suppresit ipsumque Seminarii aedificium ab exercitu sovietico occupatum fuit. Omnia bona Eparchiae a Gubernio statim rei publicae adscripta fuerunt, ita ut Episcopus omnibus mediis ad vitam privatus nonnisi ex donis suorum sacerdotum et fidelium sustentabatur. Tota dioecesis simili modo a Gubernio sovietico bonis ecclesiasticis exuta fuit, instructio religiosa in scholis suppressa, et magna tributa ecclesiis coeterisque ad Ecclesiam pertinentibus institutis et domibus imposita sunt. Episcopus Josaphat saepe a Gubernio Drohobyčiam vocabatur, ubi variis interrogationibus et humiliationibus subiciebatur. Mirabili cum patientia Episcopus et paupertatem et humiliationes et alias persecutiones ex parte Gubernii pertulit.

Cum anno 1941, mense Junio, tota Galicia ab exercitu Germaniae hitlerianae occupata esset, nova phasis dolorum pro Episcopo incoepit. Novum Gubernium in suo Ecclesiam tractandi modo paululum solummodo a Gubernio sovietico differebat. Neque enim Episcopo Seminarium aut bona eparchialia a Sovieticis ablata a Germanis restituta fuerunt. Residentia episcopalis per operationes bellicas devastata fuit. Episcopo non erat permissa visitatio parochiarum. Multi fideles, praesertim iuventus a Gubernio ad labores in Germaniam deportabantur. Immo ipse Episcopus Josaphat bis ab officialibus Gubernii hitleriani sollicitabatur, ut litteras pastorales de necessitate cooperationis populi ucraini cum Germania hitleriana ederet. Haec omnia Episcopus cum indignatione respuit et firmiter omnes machinationes Gubernii, contra fidem catholicam et bonos mores populi coram officialibus denuntiavit. Quo factum est, quod Episcopus sub stricta inspectione organorum securitatis

---

[19] Cfr. *Epistulam S. Congregationis pro Ecclesia Orientali*, die 9 Maii 1927, ad Nuntiaturam Apostolicam Poloniae scriptam. Haec epistula habetur in « *Analecta Ordinis S. Basilii Magni* », vol. I, fasc. 4, pp. 592-599, Žovkva.

(Gestapo) Gubernii hitleriani, tamquam suspectus et periculosus Gubernii hostis, erat.

Cum aestate anni 1944 exercitus sovieticus denuo Galiciam expugnavisset, Episcopus Josaphat maiores adhuc persecutiones et vexationes pro Deo et Ecclesia perpeti debuit. Senex iam et aerumnis laboriosae vitae gravatus totalem suae dioeceseos ruinam contemplare debebat. Eius dioecesis iterum dilacerata erat. Hac vice ipsa civitas Peremyšl Poloniae sovieticae adnexa erat, dum fere tota dioecesis sub regimen Unionis Sovieticae venit. Statim et ubique deportationes fidelium et sacerdotum, incarcerationes, vexationes et executiones insaevierunt. Anno 1945 vi et fraude S. Unio Ecclesiae Ucrainorum cum Sede Apostolica abolita est omnesque Episcopi provinciae ecclesiasticae Ucrainorum in Galicia ab eorum sedibus remoti in exilium deportati sunt. Episcopus Josaphat qui sub Polonorum regimine inveniebatur, mense Septembri 1945 violenter a Gubernio polonico in carcerem missus est et primo Tarnoviam, deinde vero Riaszoviam deportatus est. Post tres menses dolorum et vexationum Episcopus Peremysliam reverti poterat (Ianuario 1946). Cum anno 1946 in Czenstochowa Episcopi Poloniae ad communem conferentiam convenissent etiam Episcopus Josaphat ad participationem invitatus est. Tunc videns immens periculum suae deportationis Episcopus Josaphat in scripto votum fidelitatis erga Sedem Apostolicam expressit simulque suum desiderium pro S. Unione moriendi patefecit. Statim post reditum ex conferentia, nempe mense Junio 1946, Episcopus ab organis securitatis Guberni polonici cogebatur, ut sponte sua sedem suam relinqueret et in Unionem Sovieticam emigraret. Episcopus intrepidus hanc dedit siparii responsionem: « A Sede Apostolica destinatus sum episcopus huius urbis Peremysliae et nonnisi ab eadem Sede a munere meo revocari possum ». Tunc siparii violentiam adhibuerunt: Episcopum Confessorem baculis verberaverunt opprobriisque affecerunt et simul cum sedili, in quo sedebat, violenter abstulerunt, et violenter in vehiculum immisso, ex Peremyšl deportaverunt et Gubernio sovietico tradiderunt.

De ulterioribus vitae Episcopi Josaphat eventibus non multae nobis extant notitiae. Haec solum notum habemus, eum statim a Gubernio sovietico in carcerem missum fuisse. Incarceratus Confessor multa perpeti debuit. Sovietici eum in carcerem prope Kioviam deportaverunt et hic Episcopus Confessor post multas vexationes et dolores corporis et animi die 21-a Septembris 1947 pie obdormivit in Domino. Expletum est eius ardens votum, mortuus est enim tamquam Martyr et Confessor pro S. Unione et sic Ecclesia Ucrainorum, cum Sede Apostolica unita, alterum in eius persona nacta est Josaphatum, qui iure cum primo Josaphato, S. Unionis Hieromartyre, comparandus est.

9. CONCLUSIO.

Ut breviter haec omnia, quae hucusque de vita et gestis Episcopi Josaphat Kocylovskyj narravimus, complectemur, nonnullas notas characteristicas huius Hierarchae delineare volumus.

Imprimis notandae sunt eius virtutes, quibus eminebat: mortificatio, abnegatio sui ipsius et spiritus sacrificii, quae non solum in eius vita claustrali, sed etiam in sede episcopali ab omnibus iure admirabantur. Eximiis dotibus ingenii et cordis praeditus, facile sibi subditos suos paterno amore et sollicitudine conciliare intelligebat, sed quando de rebus fidei aut morum res agebatur, personas non respiciebat omnesque hominum respectus respuebat. Totus erat Ecclesiae eiusque bono deditus ac proinde ab omnibus suis subditis spiritum sacrificii et sui abnegationem exigebat.

Odio habuit omnem inconstantiam, mutabilitatem, incoherentiam, tergiversationes sive in vita privata sive in activitate ecclesiastica. Magno zelo pro bono Ecclesiae et animarum salute ductus nulla pericula aut impedimenta timebat, sed cum admirabili audacia et fortitudine ea superare conabatur. Erat Episcopus spiritu militanti eminens et sub hoc respectu cum episcopis Confessoribus primorum Ecclesiae saeculorum iure comparari potest.

Notandus est eius sincerae devotionis spiritus, amor orationis et praesertim meditationis, quae fons eius vitae spiritualis et zeli apostolici erat. Specialem eius devotionem erga Sacratissimum Cor Jesu, erga S. Joseph et praesertim erga suum Patronum, S. Josaphat, iam supra notavimus.

Non mirum ergo, quod Episcopus Josaphat exemplo sui coelestis Patroni ductus et ipse amore S. Unionis, fidelitate erga Sedem Apostolicam et erga Christi in terra Vicarium nec non desiderio martyrii pro S. Unione ardebat. Hanc suam fidelitatem Episcopus Josaphat tota sua vita, praesertim tempore vexationum, calumniarum, opprobriorum et persecutionum comprobavit. Et omnipotens Deus concessit ei hanc ab eo ardenter desideratam et impetratam gratiam, quod Episcopus Josaphat tamquam alter Josaphat vigesimi saeculi pro S. Unione mortem in carcere subiit.

Episcopus Josaphat revocatus est a Deo ad mercedem pro suo in vinea Domini servitio recipiendam, sed exemplum eius virtutum, eius laborum, eius dolorum et denique eius mortis pro Christo et Ecclesia in annalibus Ecclesiae Ucrainorum Catholicae tamquam margarita pretiosa generationibus posterioribus semper immortale fulgebit!

* * *

« *In casu meae incarcerationis vel deportationis humiliter peto, ut significetur Sanctissimo Patri me deponere ante pedes eius homagium fidelitatis et absolutae devotionis usque ad ultimum halitum vitae, usque ad ultimum motum cordis mei, invocando, ut filius, eius Paternam Benedictionem* » (*cfr.* « ANALECTA OSBM », Ser. II, Sec. II, vol. I, 1, p. 120).

P. Paulus Myskiv OSBM
Protoarchimandrita

R. P. THEODOSIUS TITUS HALUSCZYNSKYJ O. S. B. M. PROTOARCHIMANDRITA ORDINIS BASILIANI S. JOSAPHAT

(13.4.1880—31.8.1952)



Secunda iam vice officium nobis dolorosum inest vitam delineare Superioris Generalis Ordinis Basiliani S.ti Josaphat, cuius

sumptibus « *Analecta OSBM* » in lucem prodeunt. Prima vice, fasc. 1, « *Analectorum OSBM* » reviviscentium (1949) Primi Protoarchimandritae Ordinis Basiliani S.ti Josaphat, Rev.mi P. Dionysii Tkaczuk, vitam breviter delineavimus. Unum post lustrum officii huius supremi vacantis (1944-1949), anno nempe 1949 (14. VI) Ordo Basilianus S.ti Josaphat novum obtinuit Superiorem Generalem in persona Rev.mi P. Theodosii Titi Halusczynskyj. Sed ecce tribus iam post annis, longe ante duo expleta sui officii lustra, secundus huius Ordinis reformati Protoarchimandrita, monasteria Ordinis visitans, a Sede sua longe distans (Canada), die 31.VIII.1952, vita functus est.

* * *

Rev.mus P. Titus natus est die 13.IV.1880 in familia sacerdotali, quae populo Ucrainae eximia dedit membra, uti notum Directorem societatis « Prosvita » - Michaelem, Directorem associationis « Ridna Szkola » - Joannem, et Protohegumenum Provinciae SS. Salvatoris Ordinis Basiliani - Marcum.

Studiis mediis in Bučač et Ternopil absolutis (1899), juvenis Titus studia philosophico-theologica in Seminario Leopolitano inchoavit, et dein in Universitatibus Friburgae Helvetiorum, Oeniponti, et Viennae continuavit. Anno 1904 (4. VIII), cursu theologico absoluto, ordinatus fuit sacerdos ab Episcopo Stanislaopolitano, Gregorio Chomyšyn, et iterum Viennam se contulit, ut studia theologica laurea coronaret.

Anno 1906, obtenta laurea in theologia, rediit in patriam et Stanislaopoli in Seminario eparchiali docere cepit (1906-1908). Sed breve post tempus e cathedra magistrali descendit, ut vocationi internae ad vitam perfectiorem in statu monachali se daret. Anno nempe 1908, die 14 octobris, ad novitiatum PP. Basilianorum in Krechiv se contulit, ubi doctor in scientiis divinis et speculativis, scientiam divinam in vita quotidiana applicare cepit. Ut homo maturus scienter et conscienter tyrocinii huius ascetici curriculum percurrit, et Deo vota evangelica vovit (4.VI.1910).

Sed statim ex humili in scientia spirituali discipuli conditione, iterum, Superiorum iussu, cathedram theologiae ascendit in monasterio Krystynopolitano (1910-1912). Sed P. Theodosius parvis contineri nesciebat, et sicuti perfectioni sacerdotali perfectionem monasticam adiunxit, ita mox scientiis theologicis adiecit scientiam Sacrae Divinae Scripturae. Qua de re in Directorem spiritualem Pontificii Collegii olim Rutheni de Urbe designatus (1913-1915) sponte in Instituto Biblico cursum scientiarum biblicarum frequentabat, sub ductu noti rerum biblicarum professoris, P. L. Fonk. In studiis his diligentiae licentiam docendi obtinuit.

Bello universali in Europa conflagrato, eoque mox in Italiam dilatato, Collegium cum Alumnis et Superioribus Romam reliqui debuit (mense maio 1915). Quam ob rem prima haec eius in Urbe commoratio finem habuit praematurum. Post brevem apud Missio-

narios Verbi Divini in monasterio S. Gabrielis (prope Viennam in Austria) moram Leopolim rediit, ubi in Universitate Leopoliensi habilis ad scientias biblicas docendas in Facultate Theologica declaratus fuit (1916-1918). Praeter lectiones, ad quas se discipulosque suos bene praeparatos esse desiderabat (extant ex hac periodo « *Tabulae grammaticae dialectorum orientalium ad usum auditorum confectae* », Leopoli 1916), iam tunc in opere maiori componendo adlaborabat, ut populo ucraino Historiam Biblicam Veteris Testamenti ad manus daret (an. 1914-1924 vol. I-II, 1934 vol. III).

Bello finito, tum universali, tum nationali Poloniam et Ucrainam Rempublicam inter (1918-1920), tempus renovationis et reconstructionis necessario venire debuit, in campo etiam ecclesiastico. Quo in labore R. P. Theodosius Halusczynskyj partem habuit eminentem.

Iam anno 1920 in Capitulo Basilianorum Galiciae Leopoliensi (24.IV. - 1.V.1920) electus est Consultor Provinciae SS. Salvatoris, quo in officio duo per lustra permansit, anno 1926 in Capitulo Zovkvensi reelectus. Praeterea iam ab anno 1921 a Metropolita Andrea Szeptyckyj commissa ei fuit cura de Seminario Archieparchiali Leopolitano, ut illud ad pristinam restauraret gloriam, etiamsi circumstantiae politicae territorii labori huic minime favebant, et novus Rector multum sudare debuit ut ipsas Seminarii aedes pro usu ecclesiastico recuperaret. Seminarium basi Facultatis Theologicae in Universitate destitutum, viribus propriis non solum educationi, sed etiam in scientiis eruditioni provideri debuit, qua in re R. P. Theodosius partem habuit directivam.

Ut varietatem suarum occupationum et laborum periodo hac illustremus, satis esse nobis videtur Catalogum Ordinis alicuius horum annorum difficillimorum inspicere. Anno ex. gr. 1922 haec legimus: « P. Haluščynskyj Theodosius Titus, Rector, Consultor Provinciae, Lector Introductionis in Sacram Scripturam, hermeneuticae, exegesis Novi Testamenti, et Theologiae asceticae, Delegatus Ordinariatus ad examinandos theologos, Commissarius Ordinariatus monialium OSBM in dioecesi Peremyšl, Praeses Congregationum Marianarum dominarum et associationis ancillarum S. Joseph, Director Confraternitatis « Christianae Charitatis », Scriptor, Censor librorum, Examinator Nostrorum, Tradit exercitia spiritualia, Concionator, Confessarius, Missionarius » (Zovkva 1922, p. 15).

Non obstantibus omnibus his laboribus ipse fundationi Societatis Scientificae Theologicae Leopoliensi manum apponere potuit, cuius primus erat etiam Praeses. Et quando Societas illa publicationem trimestralem edere cepit, R. P. Halusczynskyj devenit collaborator semper paratus (1923).

Expletis sex annis et iterata vice in Consultorem Provinciae electus Seminarii directionem in manibus sacerdotum saecularium reliquit, ipseque in monasterium Leopoliense Basilianorum rediit, ubi statim munere Hegumeni fungi cepit.

Hoc tempore modo speciali alium latum sui animi multiformis ostendit: zelum animarum pastorale. Exercitiis spiritualibus prae aliis status superiores societatis ucrainicae in spiritu religioso et ecclesiastico excolere vel ad altiorem gradum elevare contendebat, missionibus vero animam populi perarabat. Non est mirum, quod etiam ephemerides catholicae attentionem eius non aufugerunt. Brevi periodo unius lustri ipse, in sua positione eminenti Superioris monasterii Leopolitani, manum suum apposuit fundationi ephemeridum periodicarum catholicarum, ut « Pravda », « Nova Zorja », « Beskyd », et demum « Dobryj Pastyr », quorum saepe saepius erat etiam director et moderator, vel saltem assiduus collaborator et fautor, qui deludere nesciebat.

Anno 1931, post Capitulum Basilianorum Dobromylense, in quo nova constituta erat Curia Generalis Ordinis, Romae residens, R. P. Hegumenus Leopoliensis, officio Consultoris Provinciae duo post lustra demisso, nominatus est Director spiritualis Pontificii Collegii S.ti Josaphat de Urbe. Revera officium hoc gravissimum in optimas venit manus, quod spectat personam, scientiam et experientiam novi spiritus Directoris. Hoc in officio, revera, usque ad annum 1949 permansit, et totam fere iuvenilem generationem levitarum statui sacerdotali manu sicura conduxit, innumerosque bonos in Vinea Christi operarios dioecesibus Europae et Americae suppeditavit, qui eius sub directione scienti et conscienti suam perfecerunt spiritualem formationem.

Durante sua romana commoratione R. P. Theodosius statim attentionem suam Archivis Romanis et Vaticanis direxit assidusque eorum devenit visitator, documenta Ecclesiae Catholicae in Ucraina prae oculis habens. Propterea mox nominatus fuit membrum sectionis historicae Pontificiae Commissionis ad redigendum Codicem Iuris Canonici Orientalis. Primus fructus huius novi laboris anno tantummodo 1944 editum fuit, ut volumen II tertiae sectionis « Fontium », quod Commissio ipso Pontifici Pio XII modo speciali dedicatum esse voluit. Est nempe opus sub tit. *Acta Innocentii PP. III, e registris Vaticanis* eruta et a P. Theodosio introductione et notis aucta. Simul cum hoc volumine R. P. Halusczynskyj alium praeparare cepit: *Acta Innocentii PP. IV et Alexandri IV,* et tantummodo mors eius praematura intentum hoc ut ad finem deduceretur impedivit, et fratribus eius in Ordine opus quasi absolutum ad finem deducere in testamento reliquit.

Bellum universale 1939-1945 R. P. Theodosium iterum in Urbe invenit cum omnibus angustiis, timoribus et difficultatibus inde provenientibus. Pace restabilita, anno 1946, nominatus est Consultor Generalis Ordinis Basiliani S.ti Josaphat, ut suam experientiam in bonum totius Ordinis daret.

Anno 1948 nominatus est Director Collegii redactionis « *Analectorum OSBM* », Romae reviviscentium. Sed iam anno 1949 suffragiis Ordinis electus est Superior Generalis Ordinis Basiliani ad tempus duorum lustrorum. Ideo die 14.VI.1949 e Pontificio Colle-

gio S.ti Josaphat se transtulit in monasterium B. V. Mariae Zyrovicensis, Sedem Curiae Generalis Ordinis. Cum hoc die incipit nova periodus in vita R. P. Theodosii T. Halusczynskyj. Cum Provinciis Europae ob persecutionem Ecclesiae in communicatione impeditus, novus Protoarchimandrita totam suam attentionem et operam Provinciis transmarinis Americae Septentrionalis et Meridionalis consecravit, de tragoedia Provinciarum antiquarum earumque membrorum lugens. Post breve tempus nominatus est etiam Consultor S. Congregationis pro Ecclesia Orientali.

Interea anno 1952 Societas Scientifica nom. T. Senčenko eius activitati scientificae summam tribuit agnitionem et R. P. Theodosium ut membrum effectivum sibi adscivit. Sed tota vita R. P. Halusczynskyj non honoribus sed labori designata erat. Ideo, Deo volente, obiit antequam de hoc titulo honorifico notitiam obtinuisset, die 31.VIII.1952 in Canada vita functus.

Non obstante enim eius aetate sat provecta et viribus labore debilitatis, ut officio suo supremo satisfaceret, canonicam instituit visitationem Provinciarum Ordinis transmarinarum. Quem ob finem die 25 Junii Roma profectus est in Canadam, monasteria et residentias huius Provinciae visitans. A monachis Provinciae, a locorum Hierarchis nec non a suis olim in Collegio Alumnis cum gaudio exceptus, ubique auxilium et consilium, spirituale praesertim, distribuebat, exercitiisque spiritualibus animas sibi bene notas in vita salutis et sanctitatis roborabat. Tandem ultimis diebus mensis Augusti 1952 venit in Mundare, primum monasterium Provinciae Canadensis, et, monachis suis congregatis, cursum exercitiorum spiritualium incepit, quo durante improvisa debilitate cordis correptus, S. Missa diei 31.VIII., exercitiis spiritualibus et visitatione canonica nondum absolutis, a Domino avocatus est ad retributionem sempiternam recipiendam, servi fideli promissam. Recepto viatico et orationibus confratrum circumdatus ad requiem aeternam e terrena abiit confusione, die 31.VIII.1952. Die vero 3 septembris 1952, assistentibus Excel.mis Dominis McDonald, N. Savaryn, A. Senyshyn, I. Boreckyj, M. Hermaniuk totoque coetu sacerdotum saecularium et regularium cum suis Provincialibus, et fidelibus, reliquiis eius mortalibus ultimum fuit datum osculum, humeris confratrum delatis ad ultimam suam in terra commorationem.

Familia Basiliana, toto orbe terrarum dispersa, summo obvoluta est luctu, Patre et Superiore et Duce suo orbata.

Persona R. P. Theodosii Titi Halusczynskyj longe lateque inter pupulum Ucrainae et in exteris erat nota. Ordo Basilianorum in hac persona pretiosum amisit membrum, et caput, singuli vero monachi gnarum animarum ductorem, agmen numerosum suorum olim in Seminariis Stanislaopolitano, Leopoliensi, et Romano Alumnorum spiritualem Patrem et in vita spirituali et sacerdotali initiatorem, populus Ucrainae catholicae bonum ad christianam perfectionem magistrum, editores et redactores ephemeridum catho-

licarum — assiduum collaboratorem, socium et fautorem, historiographia — doctum et fructuosum scriptorem, omnes denique personam seriam, sanctam et insignem.

Anno vitae 72, sacerdotalis 48 et 44 monachalis, nomen R. P. Theodosii Halusczynskyj ex libro in terra viventium disparuit, non tamen e memoria posterorum, in qua nomen eius per longa decennia insculptum erat, deleri olim posse credimus. Memoria eius erit in benedictione, sicut in benedictione erat apud omnes eius pacata, ordinata et sancta vita. Sit ei terra longinqua levis et memoria sempiterna!

* * *

Non nobis remanet nisi biographiae eius bibliographiam etiam adiungere, quae vitae eius partem constituit essentialem, etiamsi hac in re ob circumstantias praesentes nullomodo completi esse possumus. Sed veniet tempus, speramus, quando hoc aliis possibile erit. Interea sufficit nostrum parvum contributum.

BIBLIOGRAPHIA R. P. THEODOSII TITI HALUSCZYNSKYJ O. S. B. M.

Hereditas scientifica et scriptoria R. P. Theodosii, quae stricte cum eius biographia est coniuncta, in quatuor subdividi potest sectiones principales: I. Opera ex S. Scriptura: *a*) biblica-historica, *b*) biblica-exegetica; II. Opera historiographica; III. Opera characteris generalis: *a*) dogmatica, moralia, ascetica, *b*) philosophica, sociologica, paedagogica, memoriae; IV. Recensiones librorum.

En tituli operum principaliorum.

I. Opera ex S. Scriptura: a) *biblica-historica*:

Dialectorum orientalium tabulae grammaticae ad usum auditorum, Leopoli 1916.

Istorija biblijna Staroho Zavita (Historia biblica Veteris Testamenti), vol. I-II, Zovkva 1914-1924, vol. III, Zovkva 1934.

De urbis Babel exordiis ac de primo in terra Sin'ar regno, Leopoli 1917.

Syrijski teksty iz sv. Pysma (Textus syriaci ex S. Scriptura), Zovkva 1921.

Značinnja sv. Pysma v propovidnyctvi (Momentum S. Scripturae in praedicatione verbi divini) in « *Nyva* », Lviv 1921-2, et separatim Lviv 1923.

Poslannja sv. Apostola Pavla (Epistulae S. Ap. Pauli) in « *Nyva* », Lviv 1923-4.

De ucrainis S. Scripturae versionibus, in « *Bohoslovia* », Lviv 1925, et separatim, Lviv 1925.

Rik narodžennja Isusa Chrysta i perepys ludnosty za Cisarja Avhusta (Annus nativitatis Jesu Christi et consciptio temporibus Caesaris Augusti), in « *Nova Zorja* » 1930, nr. 301.

Čomu žydivska tovpa pišla proty Isusa Chrysta (Cur turba iudaica Christum Jesum respuit?), in « *Nova Zorja* » 1930, nr. 328.

Pontius Pilatus, in « *Nova Zorja* » 1933, nr. 624-5.

Najdennja najstaršych hreckych rukopysiv sv. Pysma (Inventio vetustissimorum manuscriptorum graecorum S. Scripturae), in « *Dobryj Pastyr* » 1934, IV, 1.

Čy dijsno « nove » evanhelije? (Revera evangelium « novum »?), in « *Dobryj Pastyr* » 1935, V, 1.

Sestydnev (Hexameron), Zovkva 1935.

Knyha Judyty (Liber Judith). Midraš, apokalipsa, čy historija? (Midrash, apocalipsis vel historia?), in « *Dobryj Pastyr* » 1936, VI, 1.

Najdavniši fragmenty sv. Pysma St. Zavitu v hreckomu perekladi 70-ty (Antiquissima fragmenta S. Scripturae graecae traductionis LXX), in « *Dobryj Pastyr* » 1937, VII, 1.

b) biblica exegetica:

Vo dny Iroda carja... (In diebus Herodis...), in « *Nova Zorja* » 1931, nr. 401.
Apostolski poklykannja v evanhelijach (Vocationes apostolicae in evangeliis), in « *Dobryj Pastyr* » vol. I, II, III, et separatim, Zovkva 1934.
Za dniv Iroda carja judejskoho (Diebus Herodis Regis Iudeorum), in « *Nova Zorja* » 1933, nr. 599-600.
Mudrci zi Schodu (Sapientes ex Oriente), in « *Dobryj Pastyr* » 1933, III, 4.
Svjata Evanhelija Hospoda Našoho Isusa Chrysta (Sanctum Evangelium D. N. Jesu Christi), Romae 1946 (traductio in l. ucr.).
Dijanija sv. Apostoliv (Actus Apostolorum), in « *Svitlo* » Mundare (Canada) 1947-1949 (traductio in ling. ucrainicam).

II. Opera historiographica:

Friedrich Delitzsch, in « *Bohoslovia* » 1923, I, 2.
Die gegenwärtige Lage der katholischen Kirche (Ukrainisch-katholischer Ritus) in « *Ex Oriente* », vol. I, Berg-Mainz 1927.
Reflexions sur l'Uniatisme (du P. C. Korolevskij) in « *Irénikon* » 1929 VI, 2.
Dohovir miž Vatykanom i Kvirynalom (Conciliatio inter Vaticanum et Quirinalem) in « *Postup* » 1929, IX, 4.
30 lit na mytropolyčim prestoli (30 annos in Sede Metropolitana), in « *Nova Zorja* » 1930, nr. 306.
Codificatio Iuris Orientalis, in « *Nova Zorja* » 1930, nr. 354.
Zyrovyci. Oseredok a potim mohyla sv. Uniji na biloruskych zemlach (Zyrovyci. Centrum et sepulchrum Unionis in Bělorussia), in « *Nova Zorja* » 1930, nr. 376.
Unijni stremlinnja sv. Otcia Pija XI (Activitas unionistica PP. Pii XI) in « *Dobryj Pastyr* » 1932, II, 1.
Rizdvjana legenda pro počatok cerkvy « Ara Coeli » v Rymi (Legenda de initiis ecclesiae « Ara Coeli » Romae), in « *N. Zorja* » 1932, 499.
Isaias Papadopoulos, in « *N. Zorja* » 1932, nr. 504.
Sv. Otec Pij XI u vidnošenni do rusko-katolyckoji Cerkvy i ukrajinskoho narodu (Pius PP. XI in relatione ad Ecclesiam rutheno-catholicam et populum ucrainum), in « *N. Zorja* » 1932, nr. 509.
Velykden v Halyčyni 1916 r. (Pascha in Galicia an. 1916), in « *N. Zorja* » 1932, nr. 530.
Jak to bulo zi spoviddju Iv. Franka? (Quodmodo res se habet cum confessione Iv. Franko?), in « *Nova Zorja* » 1932, nr. 556.
Z vičnoho mista. Narady Epyskopatu (Ex Urbe. Conferentia Episcoporum), in « *N. Zorja* » 1932, nr. 589.
Velykden v Rymi (Pascha Romae), in « *N. Zorja* » 1933, nr. 628.
Narys istoriji stanyslavivskoji dijeceziji: Peršyj epyskop J. Pelesz (Conamen historiae dioec. Stanyslaopolitanae: Primus episcopus J. Pelesz), in « *Nova Zorja* » 1935, nr. 829.
Naša rymska Kolehija u sv. Otcia (Audientia nostri Collegii apud S. Patrem), in « *N. Zorja* » 1934, nr. 762.
Mytropolyt Josyf Velamyn Rutskyj (Metropolita Josephus Velamin Rutskyj) in « *Dobryj Pastyr* » 1938, VIII, 4, et separatim.
Vasylijanski Dokumenty v Archivi Videnskoji Apost. Nuntiatury vid 1764 do 1783 (Documenta Basiliana Archivi Nunt. Apost. Viennensis 1764-1783), in « *Analecta OSBM* », Ser. I, vol. VI, 3-4.
Acta Innocentii PP. III (1198-1216) e Registris Vaticanis, Vaticani 1944.
Il Pontificio Collegio di S. Giosafat, in « *Analecta OSBM* » Ser. II, sec. II, vol. I, 1.
Andreas Szeptyckyj OSBM, Metropolita Haliciensis, in « *Analecta OSBM* » Ser. II, Sec. II, vol. I, 2-3.

III. Opera characteris generalis: a) *dogmatica, moralia, ascetica:*

Voskresennja (Resurrectio), in «*N. Zorja*» 1927, nr. 67-8, 1928, nr. 129-30.
Znamenije perekajemoje (Signum contradictionis), in «*N. Zorja*» 1929, 204-5.
Smertiju smertj pokonav... (Morte mortem devicit...), *ibid.*, nr. 236-7.
Dumka i nauka Čerkvy v pytannjach liturg. movy (Opinio et doctrina Ecclesiae in materia linguae liturgicae), *ibid.*, nr. 208-210, et separatim.
Carstvo Satany nastupaje na nas (Regnum Antichristi progreditur), Lviv.
Moderne pohanstvo (Paganismus modernus), in «*N. Zorja*» 1930, nr. 363.
«Pastor bonus», in «*Dobryj Pastyr*» 1931, I, 1.
Najvyščyj pastyrskyj urjad v Chrystovij Cerkvi (Supremum officium pastorale in Ecclesia Christi), Lviv.
Nedilnyj Dzvin. Rozvažannja i nauky na evanhelija i nedili ciloho roku (Campana Diei Dominicae. Meditationes...), Lviv 1932.
Nadzvyčajnyj Sv. Rik (Annus Sanctus extraordinarius), in «*N. Zorja*» 1933, nr. 633.
Vnutrennja molytva, abo rozvažannja v žyttju svjaščenyka (Oratio interna, vel meditatio in vita sacerdotis), in «*Dobryj Pastyr*» 1934, IV, 3.
Rik v žyttji Papskoji Seminariji sv. Josafata v Rymi (Annus in vita Pontif. Collegii S. Josaphat Romae), in «*N. Zorja*» 1938, nr. 1187.

b) *philosophica, sociologica, paedagogica:*

Medernizm — joho geneza, zasady ta zaklučennja (Modernismus — eiusque genesis, principia et conclusiones), in «*Nyva*» 1911, VIII, 6.
Vystup O. Palijiva v amerykanskij «Svobodi», in «*N. Zorja*» 1932, nr. 546.
Holos perestorohy (Encyklica «Caritate Christi»), in «*N. Zorja*» 1932, 549.
Encyclica «Acerba animi», in «*N. Zorja*» 1932, nr. 578-580.
Krytyka bolševyzmu (Crisis bolsevismi), in «*N. Zorja*» 1932, nr. 551.
Poniattja ludyny i zmyslu ludskoho žyttja v bolševyckim svitohladi, (Idea hominis et finis vitae in ideologia bolševismi), in «*N. Zorja*» 1932, nr. 551.
Vid utopiji do tyraniji. Krytyka bolševyzmu, in «*N. Zorja*» 1932, nr. 559.
Povna nevdača bolševyckoho suspilnoho ladu, *ibid.*, nr. 563, 566.
Nacionalistyčna ideologia «Novoho casu» (Ideologia nationalistica «Novoho času»), in «*N. Zorja*», 1933, nr. 636, 638, 643, 645, 650, 662, 663.
De encyclicis Pontificum de Statu eiusque relatione ad Ecclesiam, in «*N. Zorja*» 1933, nr. 666, 667, 670, 671, 676, 677.
Nacija i deržava ta jich vzajimni vidnošennja (Natio et Status eorumque mutuae relationes), in «*N. Zorja*» 1933, nr. 690, 691.
Polityčnyj katolycyzm v svitli nacionalistycnoji ideolohiji (Catholicismus politicus in luce ideologiae nationalstae), in «*N. Zorja*» 1934, nr. 710.
Najvyši pryzvannja žinky v suspilnosty (Vocatio feminarum in societate humana) in «*N. Zorja*» 1934, nr. 744, 745, 748.
Typ modernoji ludyny (Typus hominis moderni), in «*N. Zorja*» 1938, nr. 1130.

c) *memoriae:*

Moji spomyny pro Tomašivskoho, in «*N. Zorja*» 1931, nr. 497.
Vyflejem. (Betlehem). Vražinnja i spomyny z podoroži do sv. Zemli, in «*N. Zorja*» 1934, nr. 699, 700.
Po dorozi do sv. Zemli, in «*N. Zorja*» 1936, nr. 926.
Cerkva sv. Chrystovoho hrobu v Jerusalymi, in «*N. Zorja*» 1934-5, nr. 727, 827, 828; 1937, nr. 1032.
Osnuvannja i počatky «Novoji Zori», in «*N. Zorja*» 1935, nr. 799.
Obchid 300-littja smerty mytrop. Velamyna Josyfa Rutskoho, in «*N. Zorja*» 1937, nr. 1022.

IV. Recensiones librorum: Notari possunt ea, quae in «*Analectis OSBM*» Ser. I, (I, 1; II, 3-4; III, 3-4), Ser. II, vol. I, 1, et in «*Dobryj Pastyr*» (I, 1) publicata fuerunt, et alia quae nobis hodie adhuc ignota sunt.

Praeter haec opera publici facta iuris, alia inveniuntur adhuc inedita, quae praesertim theologiam asceticam spectant, et historiographiam. Notandum, *Acta Innocentii PP. IV et Alexandri IV,* ut opus R. P. Theodosii Halusczynskyj posthumum, in brevi in lucem prodibunt.

* * *

His dictis et notatis, quod spectat biographiam et bibliographiam, nihil nobis remanet, nisi ut omnes, qui R. P. Theodosium T. Halusczynskyj personaliter ex longiori conversatione et observatione cognoscebant invitemus, ut scientiam suam posteris tradere non negligant. Dignum enim et iustum nobis videtur, ut qui non suum sed aliorum bonum tota vita sua quaerebat aliorum etiam gratitudine et memoria perfruatur.

A. W.

R. P. JOSAPHAT JOANNES SKRUTEN O. S. B. M. PRIMUS REDACTOR « ANALECTORUM OSBM »

(24.2.1894—12.10.1951)

Vita hominum terrestris efficitur intersectione duorum ordinum: divini et humani. Cursus rerum divinus est immutabilis et aeternus. Non est mirum si etiam in ipso vertice activitatis humanae Deus, Dominus creaturae, ordinem suum valere iubet animamque humanam ex ordine terrestri in aeternam requiem transfert. Hoc idem accidit anno 57 vitae Rev.mi P. Josaphat J. Skruten, qui die 12 octobris 1951 spiravit in Domino.

* * *

P. Josaphat Joannes Skruten natus est die 24.2.1894 in pago Parchač, in districtu Sokal, in Ucraina Occidentali, ut filius Stephani

et Parascevae Malicka. A monacho Basiliano, parocho loci, baptisatus et confirmatus ut Christi miles, puer iam familiaris devenit Basilianorum, tum in pago nativo tum in proxima Krystynopoli, ubi monasterium Basilianorum exstabat. Absoluta schola elementari studia media in gymnasio Bučačensi inchoavit, uti alumnus iuvenatus PP. Basilianorum Bučačensium, quorum vitae modum ita dilexit, ut iam die 18.8.1909 militiae Basilianae nomen dedit in novitiatu Krechivensi. Tempore solito (30.4.1911) tria vota monastica Deo vovit et in studiis mediis, philosophicis et theologicis continuavit, in patria et apud exteras gentes (Romae et in Austria). Emissa postea votorum sollemnium professione (28.8.1916) - die 20.10.1918 ordinatus est sacerdos. Prima iuvenis sacerdotis activitas educationem iuventutis monasticae et administrationem monasteriorum, bello debilitatam, spectabat; postea in Seminario Archieparchiali Leopolitano philosophiam docet aliumque exercet sacerdotalem laborem in ecclesia, monasterio et schola.

Primum lustrum eius activitatis sacerdotalis in circumstantiis difficillimis devolvebatur; bellum nempe polono-ucrainicum hoc in territorio infuriabat. Sed non obstante hac conditione fluctuante et incerta, temporeque armorum, quae nec musis nec scientiis favent, indolis P. Josaphat scientifica evolvi potuit ita, ut iam anno 1921-1924 directionem accepit ephemeridis studentium « Postup », postquam annis praecedentibus hic inde ad laborem hunc scriptoris praeparabatur. Ab anno 1913 usque ad extremum vitae suae halitum P. Josaphat calamum scriptorium non iam deposuit.

Anno 1923-1924 una cum aliis Collegium constituit editionis « *ANALECTORUM ORDINIS S. BASILII MAGNI* », quorum primus devenit responsabilis director et officium hoc usque ad annum 1939 ininterrupte exercebat. Et hic labor scientificus et directivus cardo totius eius vitae et activitatis devenit eiusque nota specialis.

Simul cum hoc labore principali, una cum obligationibus vitae monasticae et sacerdotalis - P. Josaphat collaboravit in editione ephemeridis sacerdotalis « Nyva » (1921-1928), in publicatione scientifico-theologica « Bohoslovia », in redactione operum encyclopedicarum « Lexicon für Theologie und Kirche » et « Polski Słownik Biograficzny »; postea vero etiam in « Nuntio Congregationum Marianarum » et « Südost-Forschungen » (1941-1945). Simul cum hoc labore magis scientifico diversis temporibus et occasionibus partem habuit in publicationibus quotidianis vel hebdomadariis, ut in « Dilo », « Novyj Cas », « Nova Zorja », « Ukrajinskyj Holos », « Krakivski Visti » etc.

Simul cum eius labore scriptoris pari procedit passu eius scientificus valor et communis aestimatio. Obtento nempe gradu academico in philosophia et theologia fit socius simplex vel effectivus plurimarum societatum ucrainicarum et externarum, inter alia « Societatis Scientificae nom. T. Sevčenko » (1930), in qua annis 1947-1951 vices gerit Directoris Sectionis Historico-Philologicae.

Anno 1941-1945 scientifice collaboravit in « Südosteuropa Institut » penes Universitatem Studiorum Monachii (Bavaria), et anno 1946-1947 fuit Director Commissionis ecclesiastico-archeologicae Visitatoris Apostolici in eadem civitate.

Ut historiographus et Director « *ANALECTORUM OSBM* » partem habuit in Congressibus internationalibus historiographorum (Varsaviae 1932), byzantinologorum (Sofiae 1934), bibliothecariorum et archivistarum (Varsaviae 1936) museologorum (Kolomeae 1931) et unionistarum (Pinsk, Niederalteich) etc.

Excepta serie contributorum scientificorum in « *ANALECTIS OSBM* » (1924-1939), memoriae tradi possunt alia contributa characteris magis universalis, prout: « Systema philosophicum scholarum catholicarum (1921), Quaestio femminilis (1921), A natura ad Deum (1922), Apostolus Unionis (1924), In cella monastica (1925: de metrop. A. Septyckyj), Fundamenta cultus Mariani (1923), Momentum psychologicum exercitiorum spiritualium S. Ignatii Lojolae (1923), Un demisiècle d'histoire del l'Ordre des Basiliens (1882-1932), « Apologia » des Mönchspriesters Job gegen die Argumente zugunsten der Lateiner » (1935) et alia.

Praeterea sub pseudonymo J. Parchackyj, J. Stefaniv opera prosaica artis pulchrae nec non conciones componebat.

Sed iam appropinquabat bellum universale an. 1939-1945. Polonia devicta et exercitibus sovieticis communistarum appropinquantibus P. Josaphat Leopoli remansit, ut de bibliotheca, de archivo et « Analectis OSBM » invigilaret. Sed paulo post, instantibus plurimis communistarum, ut ingenium suum et experientiam nec non ulteriorem operam in servitium ideologiae et scientiae marxistae daret, P. Josaphat, tentatione tali animo forti reiecta, suasu et iussu Superiorum et amicorum in Occidentem se contulit, vitam ducens simplicem, labori et meditationi deditam, Monachii primum et dein in monasterio PP. S. Benedicti in Niederalteich (Bavaria).

Armis denuo silentibus P. Josaphat iterum plene labori pastorali et scientifico se dedit (1945-1949).

Anno 1949 a Curia Generali Ordinis Basiliani in Urbem vocatus est, ut « Analectis OSBM » Romae reviviscentibus suam experientiam et operam daret. Mox tamen designatus fuit Director spiritualis Pontificii Collegii S.ti Josaphat Romae, quo in munere scienter et conscienter obeundo in Domino spiravit die 12.X.1951. Et ita fidei catholicae strenuus defensor Sanctique Josaphat imitator et cognitor, tandem in portu tranquillitatis exul requievit ad petram Petri ancoratus et in terra martyrum sepultus fuit inter memorias martyrum.

Historiae, cui tantum studuit, nomen suum perenniter inscripsit. Erat vir insignis, monachus conscientiosus, sacerdos fervidus, spiritus director gnarus, voluntate et moribus pius, mente profundus et solidus, corde tener, scientia amplus, memoria tenax. « Analectorum OSBM », quorum anima fuit in ipsa fundatione, et animator

in executione per 5 fere lustra, aeternam nactus est gratitudinem memoriamque perpetuam.

Difficile est hodie mihi, iuveni patria pulso, vitam hanc fusiori texere calamo. Documenta et monumenta vitae eius ruina Ecclesiae nostrae in patria obruta iacent, testesque vitae eius profugi per totam terram exulant. Sit tamen brevis haec vitae eius adumbratio memoriae eius donum gratum. Surgant alii, qui virum hunc longos per annos cognoscebant et testimonia sua posteritati tradant.

Licitum nobis sit hic saltem numeros paginarum « Analectorum OSBM » seriei primae adducere, ubi modo particulari opus eius manifestatur, etiamsi tota haec series prima, sex constans voluminibus, memoriae eius « monumentum aere perennius » considerari debet.

ANALECTA OSBM: I, 1, 5, 73, 98, 105, 140, 143, 145, 157; - I, 2-3, 161, 279, 301, 306, 314, 379, 401, 402; - L, 4, 569, 580, 604, 653, 661, 662; - II, 1-2, 123, 149, 165, 167, 174, 177, 193, 201, 203; - II, 3-4, 284, 354, 376, 402, 407, 409, 437, 439, 461, 463, 473; - III, 1-2, 65, 156, 244, 268, 273, 276, 285, 287, 288; 289; - III, 3-4, 403, 496, 674, 702, 705, 719, 725, 726, 727, 730, 732, 737, 739, 741, 742; - IV, 1-2, 219, 332, 334, 464; - IV, 3-4; V, 1-4; VI, 1-3, (bibl.).

C. Korolevskij

CATALOGUS ARCHIVI PROCURATORIS GENERALIS ECCLESIÆ RUTHENÆ IN URBE (Finis)[1]

Volumen XVIII (*continuatio*)

Foll. 63-65. — Nota variorum Brevium in Poloniam mandatorum, parvi momenti.

Foll. 65-66. — Memoriale et Rescriptum ex Audientia SS.mi, diei 23 aprilis 1789, pro transitu P. Josephi Stroynowski a provincia Polona ad Lithuanam.

Fol. 66. — Memoriale pro obtinendo Iubilaeo octiduani, qui tunc temporis Romae concedebatur. — Ad calcem folii adnotatur, quod die 12 aprilis 1790 P. Vincentius Zielonka cum duobus aliis Romam reliquit, iter aggrediens in Poloniam.

Foll. 67-70. — Documenta circa quamdam dispensationem matrimonialem.

Foll. 71-73. — Plenipotentia sive procuratio a Georgio Lascaris, Patriarcha Hierosolymitano r. l. P. Iordano Mickiewicz concessa.

Foll. 73-75. — Memoriale de quadam caupona ad aedes SS. Sergii et Bacchi pertinente.

Foll. 76-77. — Memoriale et Verbale professionis fidei catholicae a Ioanne Skalewicz, presbytero saeculari pagi Raja, in districtu Chocimensi, Romae emissae, 23 iunii 1790.

Foll. 77-78. — Protoarchimandrita Maximilianus Wilczynski ad Cardinalem Borgia Stephanum, 15 martii 1790.

Foll. 78-79. — Concessio Indulgentiae pro quadam ecclesia dioecesis Camenecensis latinae.

Foll. 79-80. — Memoriale pro solutione locationis.

Fol. 80. — Memoriale et rescriptum pro obtinenda facultate benedicendi rosaria, etc. pro PP. missionariis Basilianis, 8 iulii 1790.

Fol. 81. — Pertinet ad causam *foll. 67-70* descriptam.

Foll. 82-85. — Pertinet ad Carmelitanos, nullius momenti.

Foll. 85-86. — Metropolita Theodosius Rostocki ad S. C. de Propaganda Fide, sine die, sed cum rescripto, diei 3 septembris 1790, de Latinis qui clero Rutheno aggregari cupiebant.

Foll. 86-87. — Concessio Indulgentiae pro quadam ecclesia in eparchia Chelmensi.

Foll. 87-88. — Porphyrius Ważynskyj ad E.mum Praefectum S. C. de Propaganda Fide, Chelmae, 25 iulii 1790.

Fol. 88. — Litterae passuales pro quodam peregrino.

---

[1] Cfr. «*Analecta OSBM*», Ser. I, vol. II, 1-2, p. 139; 3-4, p. 362; III, 1-2, p. 126; 3-4, p. 521; Ser. II, vol. I, 1, p. 109; 2-3, p. 292.

Fol. 89. — Memoriale pro obtinendo usu virgarum lignearum favore Confessionariorum Collegii Ostrogiensis OSBM.

Fol. 90. — Memoriale P. Mickiewicz, pro obtinenda facultate audiendi confessiones.

Foll. 91-107. — Apographa variorum documentorum, sive minoris aut nullius momenti, sive etiam non spectantium ad Ruthenos.

Foll. 107-116. — Duae epistolae, polonico idiomate, Metropolitae Theodosii Rostocki, sub die 10 sept. 1790, ad Regem Poloniae et Confederationem Nobilitatis.

Foll. 120-122. — « Nota ad Eminentissimum Antonelli, Cardinalem Praefectum Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, respectu presbyterorum uxoratorum: in casu, unius Rutheni sacerdotis secundam uxorem habentis, a Procuratore huius Residentiae die 15 ianuarii anno Domini 1791 oblata ». Incipit: « Quamquam Ecclesia Orientalis, humanae indulgendo fragilitati... ».

Foll. 122. — Memoriale Procuratoris, ut alumni Rutheni Collegii Graecorum in eodem Collegio manutenentur usque ad tempus Paschae cuiusquam anni, ut deinde in Poloniam facilius iter pergere possint.

Foll. 123-129. — « Uwagi nad wyobrażeniem Senatu Polskiego », id est, Dissertatio polonico idiomate conscripta de loco Metropolitae in Senatu Poloniae concedendo.

Foll. 132-133. — Variae indulgentiae pro ecclesia cathedrali Chelmensi, ritus Graeci.

Foll. 135-136. — Decretum S. C. de Propaganda Fide, diei 20 decembris 1790, quo confirmatur electio P. Laurentii Rymaszewski in Consultorem Generalem Ordinis Basiliani.

Foll. 136-178. — Varia documenta, partim polonice, partim latine, partim italice conscripta, de reformatione Domus SS. Sergii et Bacchi in re oeconomica. Annorum 1790-1791.

Foll. 179-180. — Porphyrius Ważynski, Episcopus Chelmensis, ad Pontificem, sine die, sed, ut videtur, 31 novembris 1790. Incipit: « Enormi sane me culpa deliquisse omnino putarem... ».

Foll. 180-181. — Idem ad S. C. de Propaganda Fide, 31 novembris 1790. Incipit: « Post duos in gradu episcopali Chelmensi... ».

Foll. 181-182. — Protoarchimandrita Maximilianus Wilczynski ad S. C., Torokaniis, 20 octobris 1790. Incipit: « Occasione promotionis in Chelmensem cathedram... ».

Foll. 182-194. — S. C. de Propaganda Fide ad Nuntium Poloniae, sine die, sed anni 1790. Incipit: « Sebbene la Santità di Nostro Signore per mezzo del Signor Cardinale Segretario di Stato... ».

Foll. 194-196. — S. C. de Propaganda Fide ad Protoarchimandritam, 6 octobris 1790. Incipit: « Serius quam voluissem mitto ad Paternitatem Tuam decretum... ».

Foll. 196-199. — Protoarchimandrita ad E.mum Praefectum, sine die et anno. Incipit: « Excellentissimus Dominus Sanctae Sedis in hoc Regno Nuntius una cum annexis... ».

Foll. 199-201. — Memoriale Procuratoris in causa P. Butrimo-

wicz in auxiliarem Metropolitae Theodosii Rostocki deputandi. Incipit: « Il Procuratore Generale dei Basiliani Ruteni avendosi saputo, che Monsignor Arcivescovo di Chiovia... siasi degnato di presentare il suo consenso... ».

Foll. 201-202. — Duo memoralia Metropolitae in casu duorum Latinorum qui clero Rutheno adscribi cupiebant.

Foll. 205-208. — Documenta, id est privilegium Regium et consensus Episcopi Stephani Simeonis Młocki Vladimiriensis, pro assumptione in Coadiutorem Arsenii Glowniecki, partim polonice, partim latine scripta. Anni 1790.

Fol. 218. — Iosaphat Bulhak, consecratus Episcopus Turoviensis et Coadiutor Pinscensis, ad E.mum Praefectum, sine die. Incipit: « Quam primum anno proximo elapso mense septembri... ».

Foll. 220-223. — Protoarchimandrita Maximilianus Wilczynski ad E.mum Praefectum, Pinsci, 24 iunii 1791. Incipit: « Aliunde notum esse Eminentiae Vestrae non dubito in praesentibus Regni Comitiis statutum intimatumque... ».

Foll. 223-231. — Bulla « *Romanus Pontifex* », diei 26 augusti 1791, pro Coadiutoria Vladimiriensi favore Arsenii Glowniecki.

Foll. 231-232. — Decretum S. C. de Propaganda Fide, diei 18 iunii 1791, in eodem negotio.

Foll. 233-237. — Breve Pii VII, « *Renovarunt in Nobis* », diei 17 augusti 1791, Stanislao Augusto Regi Poloniae, de nova Constitutione Regni.

Fol. 255. — Memoriale Ioachimi Horbacki, Episcopi Pinscensis, cum Rescripto ex Audientia SS.mi, diei I ianuarii 1792, pro obtinenda facultate testandi.

Foll. 259-260. — Memoriale et Rescriptum S. Paenitentiariae Apostolicae pro transitu ad Basilianos Fratris Faustini Malinowski, Laici professi Congregationis FF. S. Ioannis de Deo, 27 ianuarii 1792.

Foll. 260-266. — Breve nominationis et Bullae Hadriani Butrymowicz, electi Episcopi Calamen, et auxiliaris Metropolitae Theodosii Rostocki, 13 ianuarii et 8 februarii 1792.

Foll. 267. — Memoriale Procuratoris adversus Archimandritas, qui inter Canonicos latini ritus inscriptionem suam obtinebant, inscio et contradicente Protoarchimandrita.

Foll. 275-288. — « Status historiae gentis Polonae occasione Religionis, et rationum propter quas omnino sequitur constituere Hierarchiam Disunitorum et dissidentium utriusque Confessionis Evangelicae in ditionibus Reipublicae Polonae, ut eadem Polonia sit prospera, ex polonico idiomate in latinum translatus ».

Foll. 290-326. — « Proiekt ot Dyzunitow w Pinsku na Generalney Kongregacyi uformowany, względem politycznego i duchownego Rządu wyznania swego w Polszcze i W. X. Litt. 1791, w. miesięcu Czerwniu », id est, Propositio Statuti pro Disunitis in Regno Poloniae et Magno Ducato Lithuaniae, Pinsci, mense junio anni 1791, ab ipsis delineata.

Fol. 326. — S. C. ad Protoarchimandritam in causa Disunito-

rum, 10 septembris 1791. Incipit: « Ex litteris Paternitatis Tuae datis Pinsci die 14 iulii gratissimis nobis ».

Foll. 328-332. — Documenta circa assumptionem P. Hadriani Hołownia in Coadiutorem Parthenii Terlecki, Archimandritae Braclawiensis. Anni 1791.

Fol. 334. — Pertinet ad P. Adrianum Holownia, ut in *foll. 328-332.* Est consensus Protoarchimandritae.

Foll. 336-337. — « Proiekt I. W. Kiblickiego Posła Inflantskiego, wzgląd na Duchowieńtswo Swieckie Ritus Graeco-Uniti ».

Foll. 337-340. — Documenta circa asumptionem P. Iosaphat Stroynowski in Coadiutorem Iosaphat Ochocki, Archimandritae Ourucensis. Anni 1791.

Fol. 341. — Decretum S. C. de Propaganda Fide, diei 11 iunii 1792, in causa P. Hadriani Hołownia, de qua agitur *foll. 328-332.*

Fol. 342. — Rescriptum ex Audientia SS.mi, diei 25 iunii 1792, in causa P. Iosaphat Stroynowski.

Foll. 342-343. — Licentia Cardinalis Vicarii pro ordinatione Ioannis Pawłowski a Ioanne Chrysostomo de Ioanne perficienda, et quae de facto perfecta est mense augusto 1792. Hic Ioannes Pawłowski erat Ruthenus Alumnus Collegii Urbani.

Foll. 345-346. — Memoriale Procuratoris pro impedienda electione ad aliquam Ecclesiam titularem sacerdotis saecularis Lubinski, Officialis Braclaviensis.

Foll. 360-362. — Memorialia et Rescriptum S. Paenitentiariae Apostolicae pro concedenda dispensatione ab irregularitate favore cuiusdam Titii, Superioris monasterii cuiusdam Basilianorum, qui, cum quamdam feminam adulteram verberare iussisset, sententia modo tam barbaro, inscio autem Titio, exsequuta est, quod mulier paulo post mortua est. Curiosum, ut signum consuetudinum huius temporis.

Foll. 363-364. — Memoriale et Rescriptum ex Sancto Officio, diei 16 ianuarii 1793, pro Iacobo Kulczynski e latinis parentibus nato, qui ordinationem secundum ritum ruthenum a Leone Szeptycki, Metropolita, acceperat.

Foll. 374-377. — Memoriale Procuratoris ad S. C. de Propaganda Fide, pro conservatione omnium privilegiorum et iurium Ecclesiae Ruthenae in occasione divisionis Regni Poloniae quae tunc agebatur, incipit: « ...Spargitur rumor, et non sine fundamento Regnum Poloniae altera vice... ».

Foll. 377-379. — Aliud eiusdem, diei 14 maii 1793, pro conservatione Ordinis S. Basilii Magni. Incipit: « Procurator... supplicat pro facienda instantia apud Augustissimam Imperatricem Russiae... ».

Foll. 393-394. — Memoriale Procuratoris pro concessione tituli Protoarchimandritalis et usus Pontificalium Patri Athanasio Falkowski, electi Vicarii Generalis Ordinis post mortem Protoarchimandritae Maximiliani Wilczynski. Sequitur *foll. 394-395,* extractum ex Actis Consultationis Generalis dierum mensis septembris 1793, in qua electus est Vicarius Generalis praedictus.

Fol. 395. — « Monasteria PP. Basilianorum sub Imperium Rossiacum recens redacta, tam provinciae Poloniae quam provinciae Lithuanae ».

Foll. 396-397. — Athanasius Falkowski ad Pontificem, Torokaniis, die 28 octobris 1793. Incipit: « Cum piae memoriae R.mus Pater Maximilianus Wilczynski... ».

Foll. 397-399. — Nota et memoriale pro admissione in Collegio Graeco Iuliani Michalewski et Ephremi Wigura, Basilianorum.

Foll. 399-402. — Nota de contributione iussu SS.mi Patris in omnes Domus et in omnia Instituta occasione invasionis Gallicae in Pontificium territorium, cum elencho redditum SS. Sergii et Bacchi. Interest historiae eiusdem domus.

Foll. 402-404. — Metropolita Theodosius Rostocki ad S. C., Rodomysliae, 14 novembris 1793. Incipit: « Cum iam immineat tempus quo facultates Episcopis... ».

Foll. 409-410. — Decretum S. C. de Propaganda Fide, diei 26 augusti 1793, quo Ioachimo Horbacki, Episcopo Pinscensi, conceditur facultas Episcopatum dimittendi et Coadiutori suo Iosaphat Bulhak relinquendi.

Foll. 422-423. — Memoriale et Rescriptum ex Audientia SS.mi, diei 16 februarii 1794, quo permittitur Iosepho Trochaniewski, nato Rutheno, deinde ad ritum latinum translato, ad nativum ritum redeundi et in eo Ordines suscipiendi.

Foll. 423-424. — Breve Pii VI « *Cum immatura* », diei 30 novembris 1793, Athanasio Falkowski, Congregationis Ruthenae Vicario Generali.

Foll. 425-427. — Praefectus S. C. de Propaganda Fide ad Athanasium Falkowski, 7 decembris 1793, et Rescriptum ex Audientia SS.mi, diei 24 novembris 1793, quo eidem Athanasio conceduntur et usus Pontificalium et titulus Protoarchimandritae.

Foll. 452-455. — Litterae circulares Athanasii Falkowski, diei 24 decembris 1793, e monasterio Minscensi.

Foll. 458-459. — Memoriale Theodosii Wisłocki, Archimandritae Suprasliensis, ut gratiae et favores Congregationi Basilianorum concessae etiam ad Congregationem Suprasliensem extendentur.

Foll. 462-465. — Versio latina epistolae circularis Victoris, Archiepiscopi Minscensis, Iziasławiensis et Braclaviensis non catholici, datae Słucko, die 26 maii 1794, qua hortatur Ruthenos catholicos ut ad sinum Ecclesiae Graeco-Russiacae non catholicae revertentur.

Foll. 465-466. — Memoriale Procuratoris circa praedictam circularem Victoris Sadkowski.

Foll. 466-467. — Athanasius Falkowski ad E.mum Praefectum, Torokaniis, 6 iulii 1794. Incipit: « Cum Pater Iosaphat Słobodzki e Collegio de Propaganda Fide... ».

Foll. 467-468. — Eiusdem ad eumdem, Torokaniis, 24 augusti 1794. Incipit: « Quod Eminentia Vestra litteris suis... ».

Foll. 469-470. — Circulares Russiaci Gubernatoris Berchmann,

quibus praescribitur publicatio praefatae epistolae Victoris Sadkowski. Sequitur, *foll. 470-471,* responsio Gubernatoris Russiaco Metropolitae Kijoviensi non catholico, de eadem epistola, Niesviž, die 9 iulii 1794.

Foll. 475-482. — Relatio Stephani Lewinski, Coadiutoris Luceoriensis et Ostrogiensis, die 8 decembris 1794 Romam missa, de rebus gestis a missionariis Victoris Sadkowski, Episcopi schismatici, cum epistola pastorali eiusdem Stephani Lewinski. Initium relationis: « Sublata penitus per litteras missiles inter omnes communicatione... ». Initium epistolae pastoralis: « Octavum iam pastoralis muneris nostri transigentes... ».

Fol. 482. — Decretum S. C. de Propaganda Fide, diei 1 decembris 1794, quo ad Congregationem Suprasliensem extenduntur privilegia Congregationis Basilianorum Poloniae et Lithuaniae.

Foll. 488-497. — Memoriale Procuratoris ad Pontificem, ut Ruthenos adsistere dignetur apud Imperatricem Russiarum adversus acerbam persecutionem moventem Victorem Sadkowski. Initium: « Procurator... supplicat humillime Sanctae Sedi Apostolicae, ut Hierarchia Ruthena unita... ». Initium secundae partis Memorialis cui inscribitur etiam « Memoriale »: « Stante infelici Regni Poloniae sorte, in quo Nationis Ruthenae... ».

Foll. 498-501. — « Instructio Dominis Officialibus Circulorum data a Gubernio « Russiaco », ad tramitem litterarum circularium Victoris Sadkowski.

Foll. 501-509. — « Relatio describens modum et solemnitatem quibus ecclesia vacans in pago Biełow cum populo et sacerdote Theodoro Laniecki commendatario, a sancta Unione ad disunionem abstracta extitit ». Datur etiam versio latina Acoluthiae sive « Posliedovanie » usitatae pro recipiendis Unitis in sinum Ecclesiae Orthodoxae. Differt ab illa, quae recentiori aetate pro receptione Latinorum iussu S. Synodi Petropolitani typis mandata est.

Foll. 509-511. — « Traductio litterarum Ill.mi D.ni Episcopi Coadiutoris et Administratoris Luceoriensis et Ostrogiensis datarum ad Ill.mum Dominum Szeremetow, Gubernatorem Iziaslaviensem, die 20 octobris 1794 ».

Foll. 515-516. — Protoarchimandrita Athanasius Falkowski ad Cardinalem Gerdil, Praefectum S. C. de Propaganda Fide, 25 maii 1795, ubi commendat Benedictum Lenartowicz, ut in Collegio Urbano admitti possit.

Foll. 520-529. —« A praefecto circuli Ostrogiensis Domino de Nagiel Vice-Columella, emanata Declaratio ». Est diei 9 maii 1795, et eam sequuntur varia alia documenta usque ad *fol. 529,* conversionem Ruthenorum catholicorum ad ecclesiam schismaticam spectantia, necnon rituale eorum admissionis et forma iuramenti a sacerdotibus emittendi.

Foll. 529-531. — Memoriale Procuratoris ad S. C. de Propaganda Fide, adversus sacerdotes saeculares qui Episcopatus Ruthenos am-

biebant. Initium: « Procurator... repraesentat, quod inter caetera adversa hierarchiae Ruthenae... ».

Foll. 531-532. — Memoriale Stephani Lewinski ad Pontificem, quo petit extraordinarias facultates pro tempore persecutionis, die 3 iulii 1795 Congregationi particulari de negotiis Poloniae porrectum.

Foll. 537-543. — « Dispositio Illustrissimi Domini Szeremetow, Gubernatoris Iziasławiensis et Equitis,ad Praefectos sive praesides Circulorum directa, die 5 aprilis 1795 anno, Zytomirii ».

Foll. 543-548. — Varia documenta et epistolae, omnia polonico idiomate conscripta, ad historiam persecutionis a Victore Sadkowski indictae spectantia, magni momenti, ut videtur.

Foll. 549-553. — Porphyrius Skarbek Ważynski, Episcopus Chelmensis, ad E.mum Praefectum et Cardinales S. C. de Propaganda Fide, Chelmae, 30 maii 1795, ubi plurima narrat de statu Ecclesiae Ruthenae. Initium: « Diffusa per universum orbem catholica Ecclesia Christi Domini Salvatoris nostri... ».

Foll. 533-560. — Tria memoralia Procuratoris de statu Ecclesiae Ruthenae post litteras circulares Comitis Cheremetiev supra memoratas. Incipiunt sic: « E.mi Principes. Procurator... Fretus plus quam paterna clementia EE. VV. venit ad hanc Congregationem.... — B.me Pater. Procurator... iteratis vicibus supplex recurrit ad hanc Sanctam Sedem.... — E.mi Principes. Procurator... renovet humillimas preces nomine suae Hierarchiae... ». Sequitur Pro-Memoria: « Pro-memoria iuxta authenticas ex Russia Unita litteras Ill.mi Turoviensis, sub die I iunii, R.mi Abbatis Dermanensis.... ».

Foll. 561-565. — Tres Episcopi Rutheni et quattuor Archimandritae ad S. C., Kupieczoviae, 20 iulii 1795. Initium: « Ex iis quae iam R. P. Iordanus Mickiewicz OSBM Procurator Generalis humillime exposuit Sacrae EE. VV. Congregationi... ».

Foll. 565-567. — Memoriale Procuratoris ad Pontificem, de expositis in praefata epistola. Initium: « Procurator... respect. letterarum sub die 20 iulii anni presentis Kupieczoviae... ».

Foll. 567-570. — Memoriale eiusdem ad Cardinales Congregationis de rebus Poloniae. Incipit: « Procurator Generalis... delatis iam variis precibus pro universa Hierarchia... ».

Foll. 570-571. — Pars epistolae Patris Starożynski, Provincialis Galiciae, ad Procuratorem Romanum, diei 6 iunii 1795, de statu Ordinis in Galicia. Incipit: « Supponi pro mutuo erga suos Confratres animo... ».

Foll. 573-624. — Apographum Actorum Capituli Generalis Zydiczynensis, mensibus septembri et octobri 1788 celebrati.

Foll. 625-626. — Facultates extraordinariae concessae a Pio VI Stephano Lewinski, Coadiutori Luceoriensi, ad tramitem memorialis ipsius quod *foll. 531-532* habetur.

Foll. 627-629. — Polonica versio cuiusdam Ukasi Catherinae II ad Dirigentem Senatum, sine die et anno.

Foll. 629-630. — Polonica epistola Baronis Cheremetiev, Guber-

natoris Iziaslaviensis, ad Stephanum Lewinski, 7 septembris 1795.

Foll. 630-633. — Memoriale duorum sacerdotum, parochorum, id est żytynensis et Stepanensis, qui a fide catholica apostatarunt. Anni 1795. Sequitur, *fol. 633*: « Salvandum videtur sanctae Unionis negotium sequentibus modis ».

Foll. 634-640. — Epistola polonica quinque Episcoporum et quattuor Archimandritarum ad Catherinam II, cum enumeratione 12 punctorum super quibus reclamationem porrigunt. Anni, ut videtur, 1795.

Foll. 640-641. — Porphyrius Skarbek Ważynski, Episcopus Chelmensis, ad E.mum Praefectum, Chelmae, 11 octobris 1795. Incipit: « Mentem meam conflictam et continuo perfusam moerore... ».

Foll. 642-656. — Memoriale Protoarchimandritae ad S. C., in causa Patris Sylvestri Jełowicki, Archimnadritae Dubnensis, cum variis aliis documentis in eadem causa quae videtur nihil interesse rei historicae.

Foll. 661-664. — Epistola polonica Protoarchimandritae Athanasii Falkowski ad Procuratorem Romanum, Torokaniis, die 9 novembris 1795.

Foll. 665-667. — Memoriale Procuratoris ad Cardinales Congregationis de rebus Poloniae, circa saecularizationem et licentiam celebrandi Missam ritu latino non concedenda Basilianis sine consensu Protoarchimandritae.

Foll. 667-670. — Litterae circulares Heraclii Lissowski, Archiepiscopi Polocensis, Minsci, 3 novembris 1795. Incipit: « Notum facimus quomodo nos accepto expresso Augustissimae Imperatricis Dominae Nostrae... ».

Foll. 670-671. — Rescriptum Catherinae II, reprehendens Unitos ecclesiasticos quod ad conscribendum supplicem libellum in unum locum convenire ausi sint, 12 octobris 1795.

Foll. 671-675. — Supplicatio Porphyrii Ważynski, Episcopi Chelmensis, ad Gubernium Leopoliensem, Leopoli, 17 februarii 1796. Initium: « Infrascriptus Episcopus Chelmensis et Belzensis congrua sustentatione destitutus... ».

Foll. 683-684. — Epistola Porphyrii Ważynski ad Heraclium Lissowski, Archiepiscopum Polocensem, Chelmae, anno 1796. Initium: « Quandoquidem recens regionis nostro spirituali regimini...».

Foll. 685-690. — Litterae circulares Heraclii Lissowski ad clerum, de purificando ab innovationibus ritu graeco-unito illegaliter deturpato. Initium: « Ritus unitus, uti nunc in se est inconsiderate corruptus... ». Sequitur, *foll. 690-691,* responsio Procuratoris Romani ad praecedentem encyclicam, Congregationi super rebus Poloniae porrecta, optimi sensus et prudentiae, cuius initium: « Etsi verum sit, quod post Synodum Zamoscianam Ritualia nova corrupta... ».

Foll. 691-696. — Armistitium inter Gubernium Pontificium et exercitum Napoleonis Buonaparte, « Bologna, 23 giugno dell'anno 4 della repubblica Francese una ed indivisibile », cui sequitur Inti-

matio Cardinalis Vicarii qua praescribitur consignatio ad Zeccam sic dictam Pontificiam notabilis partis suppellectilis ecclesiarum, praesertim in argento et auro, ut ingens summa pecuniae Gallis promissa solvi possit, necnon Memoriale Patris Iordani Mickiewicz, ut suppellectilem suam conservare liceat, attenta paupertate Ecclesiae et Poloniae.

Foll. 697-699. — Porphyrius Ważynski ad Pontificem, Chelmae, 19 iunii 1796. Initium: « Inter plurimas easque gravissimas curas Beatitudinis Vestrae... ».

Foll. 699-700. — Memoriale et Rescriptum Poenitentiariae Apostolicae, diei 13 septembris 1796, quo conceditur Simpliciano Brestowski, qui persecutionem Russorum fugitus erat, transitus ad ritum latinum necnon dispensatio votorum religiosorum.

Foll. 703-707. — « Trattato di pace tra il Papa e la Repubblica francese », 19 februarii 1797, aut, secundum calendarium a Republica excogitatum, « il primo Ventoso, anno quinto della repubblica una e indivisibile ».

Fol. 708. — Cum hoc folium valde intersit rei historicae, mihi visum est illud hic de verbo ad verbum transsumere.

« Series Procuratorum Generalium in Hospitio SS. Sergii et Bacchi Ruthenorum ab anno Xti 1639, ex Ordine Basiliano.

1639 Philippus Borowich.
1665 Iosephus Pietkiewicz.
1669 Iosaphat Michniewicz.
1674 Iosephus de Camillis.
1692 Polycarpus Philippowicz.
1696 Sylvester Pieskiewicz.
1710 Hilarion Kruszewicz.
1712 Benedictus Trulewicz.
1726 Patritius Zyrawski.
1729 Ignatius Kulczynski.
1736 Maximilianus Zawadzki.
1740 Caesarium Stebnowski.
1744 Athanasius Czarkowski.
1747 Ianuarius Znoiowski.
1752 Basilius Boschowich.
1757 Hieronymus Oziemkiewicz.
1760 Ignatius Wołodzko.
1772 Hierotheus Korczynski.
1780 Vincentius Ziełonka.
1789 Iordanus Mickiewicz. »

Foll. 709-718. — « Memoria ex Residentia Torokanensi a R. P. Athanasio Falkowski... redeunte Polonia mandata Romam... data est ad Secretariam Congregationis Particularis Cardinalium super negotiis Poloniae cum Aula Russorum constitutorum, die 20 aprilis 1796. « Initium: » « I. Protoarchimandrita suprafatus attulit duas litteras Ill.mi et Ex.mi D. Litta... ».

Foll. 718-719. — Epistola polonica Patris Iordani Mickiewicz ad Heraclium Lissowski. Sine die.

Fol. 719-722. — Epistola polonica Iordani Mickiewicz et sociorum apud SS. Sergium et Baccum degentium in materia subsidii exposcendi, ad Catharinam II Imperatricem Russiae.

Foll. 722-724. — Porphyrius Ważynski, Episcopus Chelmensis, ad S. C., 13 novembris 1796. Incipit: « Arctamur in dies strictius Principum dominatium mandatis... ».

Foll. 724-730. — Hieraclius Lissowski, Archiepiscopus Polocensis, ad Porphyrium Ważynski, Episcopum Chelmensem, żydiczyn, 17/3 septembris 1796. Incipit: « Occasione visitationis Ecclesiarum et Monasteriorum... ».

Foll. 730-732. — Memoriale Procuratoris Pio VI oblatum, in Audienda diei 2 ianuarii 1797, circa res in epistolis Lissowski et Ważynski expositas. Incipit: « Iordanus Mickiewicz... cum profundissimo cultu ac summa veneratione deponens in manibus... ».

Foll. 733-748. — Observationes in Encyclicam Heraclii Lissowski Polocensis, de ritu Rutheno adulterato. Forsan conscriptae a Iordano Mickiewicz.

Foll. 749-762. — Porphyrius Ważynski, Episcopus Chelmensis, ad Heraclium Lissowski Polocensem, Chelmae, 24/13 decembris 1796. Incipit: « Litteras Excellentiae Vestrae ex Monasterio Zydiczynensi ad me datas 3 septembris... ».

Foll. 763-766. — Versio latina memorialis ruthenici Theodosii Rostocki ad novum Imperatorem Paulum I. cum epistola ad Nuntium Laurentium Litta, Archiepiscopum Thebarum, cum qua versionem hanc transmittebat. Petropoli, 24/4 ianuarii 1797.

Foll. 766-768. — Laurentius Caleppi, Secretarius Congregationis particularis de rebus Poloniae, ad Nuntium Laurentium Litta, ut videtur, 20 aprilis 1797. Incipit: « Quantunque i Signori Cardinali, dai quali è composta questa Sacra Congregazione... ».

Foll. 769-770. — Epistola polonica Michaelis Michalczewski, Consiliarii Gubernii Podoliae, ad... Sine die et anno.

Foll. 770-771. — Epistola pariter polonica Metropolitae Theodosii Rostocki.

Foll. 771-773. — Polonica versio cuiusdam Manifesti Pauli I, Imperatoris Russiae, Petropoli, 18 martii 1797.

Foll. 773-777. — Apographum epistolae Pii VI ad novum Imperatorem Paulum I, 7 ianuarii 1797. Initium: « Cum primum intellexim Augustissimam Maiestatem Tuam... ».

Fol. 778. — Memoriale et Rescriptum ex Audentia SS.mi diei 23 iunii 1797, quo Stephano Lewinski conceditur facultas absolvendi ab irregularitate ex apostasia a fide catholica.

Foll. 779-784. — Documenta curiosissima in causa Iosephi Koll, presbyteri latini ritus, qui post ductam uxorem, non obstante prohibitione canonica, transitum ad ritum graecum petierat, sub conditione perpetuae suspensionis ab exercitio Ordinum; quod tamen ei denegatum fuit, ne res possit in exemplum transire.

Foll. 785-787. — Litterae circulares Metropolitae Theodosii Rostocki omnibus Ecclesiis Unitis in Guberniis Minscensi, Volhynensi, Podoliensi, Bracłaviensi existentibus, Petropoli, 30 martii 1797. Polonico idiomate.

Foll. 788-793. — Epistolae variae polonico idiomate, tam Imperatoris Pauli I ad Metropolitam Theodosium Rostocki, quam Metropolitae ad Imperatorem et ad catholicos Ruthenos Imperii, anni 1797, mensis martii diebus 17, 30 et iterum 30.

Foll. 793-797. — « Informatio de persecutionibus et iniuriis Ordini Basiliano in Unione cum sancta Romana Ecclesia existenti illatis ab anno 1794 in Guberniis Minscensi, Volhynensi, Podoliensi et Braclaviensi ».

Foll. 797-803. — Varia documenta ad rem oeconomicam Domus ad SS. Sergium et Bacchum spectantia, quae spectabilis momenti sunt pro historia huius domus tunc temporibus. Partim latine, partim italice scripta.

Foll. 803-806. — Textus russicus Manifesti Pauli I, Imperatoris, occasione suae Coronationis, Moscuae, in ecclesia Assumptionis. Petropoli, 1 ianuarii 1798.

Foll. 806-812. — Documenta circa saecularizationem et transitum ad ritum latinum petitum a Timotheo Szczurowski, Basiliano.

Foll. 815-817. — Memoriale Procuratoris ad Pontificem, ut non permittatur Basilianis transitus ad ritum latinum. Incipit: « Cum aliunde sit bene notum huic Sanctae Sedi Apostolicae... ».

Foll. 819-822. — Memoriale Procuratoris ad Congregationem de rebus Poloniae, circa statum oeconomicum Residentiae ad SS. Sergium et Bacchum. Non parvi momenti. Incipit: « Nelle luttuose vicende, alle quali miseramente... ».

Foll. 822-829. — Varia documenta scripta polonico idiomate, circa Unionem Ruthenam in Imperio Russiaco.

Fol. 832 . —Rescriptum S. C. de Propaganda Fide, diei 17 novembris 1797, ex Audientia SS.mi, in qua confirmatur ius Ruthenorum mittendi Alumnos ad Collegia Pontificia. Memoriale Procuratoris habetur *foll. 813-815.*

Fol. 833. — Exemplar typis impressum litterarum circularium Maximiliani Wilczynski, Protoarchimandritae, Torokaniis, 30/19 ianuarii 1790. Idem ac apographum manuscriptum quod habetur *foll. 52-55* huius codicis (Cfr. praesentem Catalogum, pag. 338, fasc. 2-3).

Fol. 834. — Exemplar typis impressum litterarum circularium Athanasii Falkowski, Protoarchimandritae, Minsci, 24 decembris 1793. Idem ac apographum manuscriptum quod habetur *foll. 452-455* huius Codicis (Cfr. praesentem Catalogum, supra).

Foll. 835-836. — Propositio Consistorialis Theodosii Rostocki, electi Episcopi Chelmensis et Coadiutoris Metropolitae Iasonis Smogorzewski. Exemplar typis impressum, ut moris est.

Foll. 837-847v. — « De Basiliano Monachorum Ruthenorum omnium vero Instituto ». Nullius momenti.

Fol. 848. — Nota de iuramento ab alumnis Collegii Ruthenorum

Romani modernis subscribendo, sub respectu caelibatus ecclesiastici. Haec nota conscripta est a Procuratore Ruthenorum Basilio Lewicki, utpote S. C. de Propaganda Fide praesentanda, sed in effectum postea nullo modo deducta.

VOLUMEN XIX.

Sine titulo. Continet Chronicam Ecclesiae et Domus ad SS. Sergium et Bacchum ab anno 1798 usque ad annum 1804. Ut pro praecedenti volumine XVIII, res tantum principaliores et vero modo ad historiam vel ius canonicum Ruthenum spectantes hic describo.

Fol. 0-sic-. — Apographum declarationis Ministri Imperialis et Realis in Urbe, quo attestatur, Ecclesiam et Domum ad SS. Sergium et Bacchum protectione I. et R. fulciri, 13 frebruarii 1798.

Foll. 1-33v. — Chronica urbis Romae et Residentiae ad SS. Sergium et Bacchum anno 1798, id est, tempore Reipublicae Romanae, ubi Procurator Iordanus Mickiewicz narrat omnia quae vidit, aut quae acciderunt tam in Urbe quam in Residentia, cum apographo omnium memorialium, etc. ad Gubernium civile ab ipso hac tempestate exaratorum, necnon aliqua alia documenta a Summo Pontifice emanantia, v. g. circa iuramentum fidelitatis Reipublicae. Ista Chronica magni momenti esse potest, tam pro historia Domus ad SS. Sergium et Bacchum quam pro historia Reipublicae Romanae. *Foll. 20-21,* inserta sunt documenta circa saecularizationem et transitum ad ritum latinum Innocentii Kuncewicz, Basiliani, et Memoriale Stephani Lewinski, Episcopi Luceoriensis, pro extensione suarum facultatum ad tria Gubernia: Kijoviense, Volhyniense et Podoliense, necnon, *fol. 21v,* Rescriptum Delegati Pontificii Michaelis di Pietro, Episcopi Isauriensis, absente ipso Pontifice. Usque *ad fol. 26*: Chronica latine cum documentis propria lingua italica vel etiam gallica scripta est, a *fol. 26* usque *ad 33v,* sub titulo « Wiadomości », legitur altera Chronica annorum 1798-1799, polonice scripta. — Multa documenta, quae inveniuntur etiam in Archivo S. C. de Propaganda Fide, *Scritture riferite nei Congressi, Ospizio dei Ruteni, « Pascolo »,* vol. I — 1639-1800, in originali, habentur hic in apographo.

Foll. 33v -43. — « Dissertazione, nella quale si asserisce, che le due Nazioni Greca e Moschovita non siano scismatice nominatamente dalla potesta leggittima per tali dichiarate ». Anonyma.

Foll. 47-49v. — « Prospectus Hierarchiae Ruthenae unitae S. Romanae Ecclesiae ». Ante et post divisionem Poloniae. Non magni momenti. Habetur etiam in Archivo S. C. de Propaganda Fide, *Scritture riferite nei Congressi, Moschovia, Polonia e Ruteni,* volume 18.

Foll. 49-51v. — Memoriale Procuratoris ad novum Pontificem Pium VII, die 22 augusti 1800 porrectum, circa oeconomicum regimen Residentiae ad SS. Sergium et Bacchum.

Foll. 51v-52. — Porphyrius Skarbek Ważynski, Episcopus Chelmensis, ad Pontificem, Chelmae, 13 augusti 1800. Incipit: « Statim ac optatissima oras ad nostras... ».

Foll. 52-54v. — Notificatio Cardinalis Vicarii Iulii Maria della Somaglia, diei 10 septembris 1800, qua requiritur exacta informatio omnium piorum locorum Urbis; sequitur Informatio a Procuratore Iordano Mickiewicz concinnata pro sua Residentia.

Foll. 54v-56. — Documenta circa renunciationem Sylvestri Jełowicki, Archimandritae Dubnensis, ubi videtur intromissio Stanislai Siestrzencewicz, Archiepiscopi Mohiloviensis, in negotiis etiam Ecclesiarum ritus Graeci, ut praetensus Metropolita unicus Ecclesiarum catholicarum Imperii Russiaci.

Foll. 57-58v. — Memoriale Procuratoris et Rescriptum ex Audientia SS.mi, diei 6 octobris 1800 quo centum scuta quolibet anno Ecclesiae SS. Sergii et Bacchi assignantur supra proventus pii Operis Polonici in civitate Lauretana.

Foll. 58v-61. — Duae epistolae prima italice, altera autem polonice scriptae, Francisci Lawdanski, Poenitentiarii Poloni Lauretani, de eodem argumento.

Fol. 61. — Rescriptum ex Audientia SS.mi, diei 26 octobris 1800, circa renunciationem Sylvestri Jełowicki, de qua agitur *foll. 54v-56.*

Fol. 61v. — Prorogatio ad triennium facultatum Stephani Lewinski, Episcopi Luceoriensis, ex Audientia SS.mi, die 16 novembris 1800; memoriale et Rescriptum.

Foll. 61v-62. — Breve Pii VII « *Egregio Te animo* », diei 20 septembris 1800, ad Porphyrium Ważynski, Episcopum Chelmensem.

Foll. 62-63v. — Memoriale Procuratoris ad Pontificem, ut iuvenes Rutheni Imperii Austriaci et Regni Hungariae mittentur ad SS. Sergium et Bacchum studiorum causa, et ut subsidium pro eorum manutentione assignetur. Incipit: « Iordanus Mickiewicz... defert ardentissimas preces ad S. Sedem Apostolicam... ».

Foll. 69-69v. — Memoriale Procuratoris ad Cardinalem Gerdil, Praefectum S. C. de Propaganda Fide, ad obtinendum subsidium ex antiquo legato pio Cardinalis S. Onuphrii.

Foll. 69v-73. — « Copia Regulamenti pro Clero saeculari et Regulari in Dominiis Russiae existentis sub die 11 decembris anni 1800 Petropoli facti, et a Paulo I Imperatore Russiae approbati his verbis: « *Sit ita* ».

Fol. 73v. — « Prospectus Hierarchiae Ruthenae Unitae a Stephano Lewinski... Romam die 20 aprilis anno 1801 transmissus ». Est simplex nota ecclesiarum et monasteriorum adhuc existentium in eparchia Metropolitana.

Foll. 73v-74. — Rescriptum Alexandri I Imperatoris, diei 12 martii 1801, polonice versum.

Foll. 74-76v. — Memoriale Procuratoris ad S. C. de Propaganda Fide in materia Unionis Ruthenae. Incipit: « Iordanus Mickiewicz... defert ardentissimas preces ad S. Sedem Apostolicam... » Est idem ac *foll. 62-63v.*, sed diffusiori modo.

Foll. 76v-77v. — « Puncta ex legibus Regis Borussorum extracta in materia ecclesiasticorum quoad Religionem catholicam spectantia ».

Fol. 78. — Memoriale Procuratoris S. C. de Propaganda Fide, ut ipsi solvetur aliquod subsidium ex pio legato Cardinalis S. Honuphrii, a longo tempore non soluto.

Foll. 80-80v. — Cardinalis Gerdil, Praefectus S. C. de Propaganda Fide, ad Ioannem Benislawski, Episcopum Gedanensem, 25 iulii 1801, ubi commendat Iustum Hussakowski, Procuratorem Basilianorum in Urbe Petropolitana. Incipit: « Sexdecim fere abhinc mensibus Petropolim profectus est... ».

Fol. 81. — Epistola Procuratoris ad quemdam Missionarium Apostolicum Constantinopolitanum, ubi informationes postulat de sic dicto Archimandrita Serafino de' Simoni, iam Lectoris linguae illirycae in Collegio Urbano, qui fugae sese dederat. Saepe saepius fit mentio huius Moscovitae in Archivo S. C. de Propaganda Fide.

Fol. 82. — S. C. de Propaganda Fide ad D. Benvenuti, Petropolim, 5 septembris 1801, in causa Patris Iusti Hussakowski.

Fol. 82v. — Memoriale Procuratoris, ut ultima pars subsidii ex pio legato Cardinalis S. Honuphrii pro anno 1797 ipsimet solvetur.

Foll. 83-85. — Promemoria, die 5 octobris anno 1801, data Ill.mo ad R.mo D.no Antonio Gabrieli Severoli, Archiepiscopo di Petra, proficiscenti Viennam pro Nuntio Apostolico. Incipit: « Antequam S. C. de Propaganda Fide transmittet ministerialem suam informationem E. V. Viennam de hierarchia... ».

Foll. 87-87v. — Cardinalis Secretarius Status ad D. Benvenuti et responsio eiusdem, de re oeconomica Collegii Vilnensis, 2 maii 1801 et 21 novembris 1801.

Foll. 88-90. — Alia documenta de eodem Collegio Vilnensi: 1. Exerptum ex litteris P. Leszynski, Archimandritae Pinscensis et Provincialis Lithuaniae, ad P. Iustum Hussakowski, 26 augusti 1801, 2. Notitia de Pontificio Collegio Vilnensi, 3. Memoriale ad Pontificem, cuius initium: « Fin da quando i Ruteni della Russia polacca vennero alla Unione colla Santa Sede... ».

Foll. 91-111. — Apographa epistolarum variorum, ut Porphyrii Ważynski, Iosaphat Bulhak, aliorumque, ad Procuratorem Romanum, necnon variorum documentorum circa Archimandriam Suprasliensem; omnia haec polonico idiomate.

Foll. 111v-114. — Documenta circa saecularizationem et transitum ad ritum latinum Costantinii Kopczynski, iam Alumni Collegii Urbani.

Foll. 115v-116v. — Descriptio ecclesiae et domus SS. Sergii et Bacchi, Cardinali Datario oblata.

Foll. 116v-117v. — Epistola Cardinalis Littae ad Procuratorem, circa res Hospitii SS. Sergii et Bacchi, 9 februarii 1802.

Foll. 117v-118. — Memoriale Procuratoris ad Pontificem, adversus illos Basilianos, qui saecularizationem et transitum ad ri-

tum latinum petiebant. Incipit: « Il Procurator Generale... rappresenta, che già è seguito, e continuamente segue... ».

Fol. 118v. — Cardinalis Litta, Nuntius Poloniae, ad duos Basilianos Collegii Brunsbergensis alumnos, qui saecularizationem petiverant, Varsaviae, 21 aprilis 1796.

Foll. 118v-121. — « Regulamentum spirituali et ecclesiastico regimini Romano-Catholicae Confessionis sub Alexandro I Russiae Imperatore die 13 novembris 1801 praescriptum ».

Foll. 121-122. — Rescriptum Pauli I, Imperatoris, ad Stanislaum Siestrzencewicz, 12 maii 1799, post expulsionem Nuntii Apostolici.

Foll. 122-123v. — Litterae circulares Stanislai Siestrzencewicz post praedictum Rescriptum, Petropoli, 7 maii 1799.

Foll. 123v-124v. — « Ad desideria Ill.mi ac R.mi Theodosii Rostocki, Metropolitani Russiae unitae, in hoc consistentia... responsum Alexandri I Imperatoris Russiae », 13 novembris 1801.

Foll. 124v-128. — Varia documenta, polonico idiomate, de rebus Basilianorum in Russia.

Foll. 128-131. — Epistola polonica Protoarchimandritae Athanasii Falkowski ad Procuratorem Romanum, 18 decembris 1801. Sequitur, *foll. 131-134v*: « Status Ordinis S. Basilii Magni Congregationis Ruthenorum in Imperio Russiaco ». Subscriptus a Protoarchimandrita Athanasio Falkowski, Torokaniis, die 18 decembris 1801. Incipit: « Congregatio Basiliana Ruthenorum extenditur per Russiam olim Polonam... ».

Foll. 134v-137. — Memoriale Procuratoris et Rescriptum ex Audientia SS.mi, diei 4 aprilis 1802, ubi variae conceduntur facultates pro imminenti Capitulo Basilianorum Torokaniis celebrando. Initium memorialis: « Cum ab anno 1788 usque ad praesentem, Capitulum Generale Ordinis S. Basilii M. Congregationis Ruthenorum... ».

Foll. 137-139v. — « Desideria S. Congregationi de Propaganda Fide nomine hierarchiae Ruthenae a Procuratore Generali Ordinis S. Basilii Magni Congregationis Ruthenorum in Urbe existente die 30 aprilis 1802 porrecta ». Incipit: « I. Ut Metropolitanus totius Russiae unitae Ill.mus Theodosius Rostocki, qui a tempore Catherinae II hucusque detinetur... ».

Foll. 139v-140. — Epistolae Cardinalis Littae et Cardinalis Roverellae, Pro-Datarii, I maii 1802, de subsidio concedendo Ecclesiae SS. Sergii et Bacchi.

Fol. 140. — Memoriale Procuratoris circa provisionem Sedis Suprasliensis Ruthenae. Incipit: « B.mo Padre. Dopo che si è chiuso il Regno di Polonia, ed occupato dall'Austria... ».

Foll. 142v-146. — Documenta circa Alumnatus Polonicos ad S. Stanislaum de Urbe spectantes. Nihil habet ad historiam Ruthenorum.

Foll. 146v-147. — Porphyrius Ważynski, Episcopus Chelmensis, ad Em.um Praefectum, Chelmae, 9 iunii 1802. Incipit: « Quel ri-

scontro, che ho avuto dal codesto Padre Procuratore... ». Spectat ad SS. Sergium et Bacchum.

Foll. 147v-148v. — « Decretum S. C. de Propaganda Fide reformatum pro Capitulo Generali Monachorum Basilianorum, iuxta circumstantias Imperialis regiminis Russiaci ». Ex Audientia SS.mi, diei 4 iulii 1802.

Foll. 148v-152v. — Epistola polonica Procuratoris Romani ad Protoarchimandritam, 17 iulii 1802.

Foll. 153v-154. — Relaxatio abstinentiarum pro monachis Basilianis monasteriorum Versaviensis et Drohicensis; memoriale et Rescriptum ex Audientia SS.mi, diei 4 iulii 1802.

Foll. 154v-155. — Rescriptum ex Audientia SS.mi, diei 13 iunii 1802, quo denuo vetitur in Imperio Russiaco transitus Ruthenorum ad latinum ritum.

Foll. 155-156. — Memoriale Procuratoris adversus electionem sacerdotis saecularis Duchnowski ad sedem Supraliensem. Incipit: « Giacchè si è nominato dalla corte di Prussia... ».

Foll. 156-158. — Pro-Memoria eiusdem, de eodem argumento. Incipit: « Alla S. C. de Propaganda Fide, dove si prova, che per le disposizioni delle Pontificie Costituzioni... ».

Foll. 159v-160. — Epistola Cardinalis Littae ad Porphyrium Ważynski, Episcopum Chelmensem, 14 augusti 1802, cum qua nuntiat Datariam Apostolicam subsidium annuale Residentiae SS. Sergii et Bacchi concessisse.

Foll. 160-161. — Memoriale et Rescriptum ex Audientia SS.mi, diei 5 decembris 1802, circa abstinentias in monasterio Varsaviensi et Drohicensi.

Foll. 161-168. — Epistola Caietani Kicki Archiepiscopi Latini Leopoliensis ad suum agentem in urbe Vindobonensi, circa causam cuiusdam Constantini Kopczynski et transitum Ruthenorum ad ritum latinum, 27 septembris 1802, cum responsione Procuratoris Romani ad praedictam epistolam.

Foll. 168v-169v. — Athanasius Falkowski, Protoarchimandrita OSBM., ad Procuratorem Romanum post Capitulum Torocanense, Torokaniis, 27 septembris 1802. Polonico idiomate.

Foll. 169v-170v. — « Memoriale all'E.mo Cardinale Braschi Economo della S. C. de Propaganda Fide per il credito di tre anni in scudi 240 ». Agitur de legato Cardinalis S. Honuphrii.

Foll. 171v-173. — Informatio de Episcopis non catholicis et de Archimandritis itidem non catholicis in Regno Hungariae existentibus, Procuratori Romano ab Hieronymo Strzelecki, parocho S. Barbarae in Urbe Vindobonensi, transmissa, anno 1803. Polonico idiomate.

Foll. 173v-176. — Apographus Brevis « *Catholicae fidei* », die 7 martii 1801, quo Societas Iesu a Pio VII in universo Imperio Russiaco confirmatur.

Foll. 176-182v. — Epistola polonica Patris Marcelli Jaroszew-

ski, Procuratoris Ordinis Basiliani Petropoli, ad Procuratorem Romanum. Petropoli, 17-29 aprilis 1803.

Foll. 183-186v. — Memoriale et pro-memoria Procuratoris, in causa erectionis praetensae quattuor novarum Archimandriarum in oppidis Vitebscensi, Polocensi, Pustiniensi et Chorobrowiczensi, anno 1798, opera Samuelis Nowakowski et sociorum.

Foll. 186v-187v. — Attestatio Cardinalis Saluzzo, iam Nuntii in Polonia, et publicum Instrumentum circa refectionem Residentiae Metropolitarum Unitorum in oppido Podwale. Romae, 19 augusti 1803.

Foll. 187v-189. — Pro-Memoria Procuratoris ad E.mum Praefectum S. C. de Propaganda Fide, in causa Monasterii et Episcopatus Suprasliensis. Incipit: « Episcopatus Suprasliensis ritus Graeco uniti erectus est de nova radice... ».

Foll. 196-197. — « Memoriale ad E.mum Cardinalem Borgia, Praefectum S. C. de Propaganda Fide, respectu faciendae instantiae mediante Nuntio Viennensi ad Suam Maiestatem Imperialem, ut possint mitti ad Collegia Romana quattuor Alumni ex provincia Galiciana Imperiali Dominio subiecta ». Incipit: « Il Procuratore... espone, che essendo egli stato assicurato dall'E.mo Signor Cardinale di Pietro... ».

Foll. 200v-201v. — S. C. ad Nuntium Viennensem, 2 aprilis 1803. Incipit: « Si son successivamente consegnate al signor Abate Adami Agente di V. S. due Rescritti... ».

Foll. 201v-202v. — Memoriale alicuius sacerdotis Rutheni, qui cum secunda uxore cohabitare cupiebat. Deest rescriptum.

Foll. 204-205v. — Pars epistolae Porphyrii Ważynski, Episcopi Chelmensis, ad Procuratorem Romanum, diei 22 ianuarii 1804, adnexa copia cuiusdam casus conscientiae dogmatici valde curiosi.

Fol. 206. — Rescriptum Comitis Kotchubey, Ministri Interioris, ad Gubernatorem Albae Russiae Michelson, 31 octobris 1803. Textus russiacus characteribus latinis expressus.

Foll. 213v-214v. — Epistola polonica Michaelis Harasiewicz, Vicarii Generalis Leopoliensis, ad Procuratorem Romanum, Vindobonae, 10 februarii 1803.

Foll. 215-219v. — Pro-Memoria Michaelis Harasiewicz ad Nuntium Vindobonensem Gabrielem Severoli, 11 iulii 1803, de restauranda Metropolita Haliciensi. Incipit: « Ex antiquis exstantibus hucdum monumentis ex saeculo XIII constat hierarchiam... ».

Foll. 219v-221. — Pro-Memoria eiusdem, Vindobonae, 25 augusti 1803, adversus transitum Ruthenorum ad ritum latinum. Incipit: « Decretis et Constitutionibus SS. Pontificum... ».

Foll. 221v-224. — Duae epistolae polonicae, una Procuratoris Romani ad Officialem Leopoliensem, diei 15 octobris 1803, altera autem Metropolitae Theodosii Rostocki, Petropoli, 16 iunii 1803, ad Procuratorem Romanum, cui adnexa est epistola originalis.

Foll. 224. — Notificatio Vicariatus Urbis, diei 6 septembris 1802, quo eleemosyna pro SS. Missae sacrificio ad 15 « baiocchi » fixatur.

Foll. 225v-227v. — Epistola polonica Comitis Alexandri Worontsow, Ministri Interioris, ad Stanislaum Siestrzencewicz, Archiepiscopum Mohiloviensem, 13 decembris 1803.

Foll. 228-254v. — Acta, in apographo, Capituli Generalis habiti Torokaniis, mense septembri anni 1802.

Foll. 254v-256v. — « Memoria alla S. C. di Propaganda Fide dal dipartimento de' Ruteni Uniti esistenti sotto dominio della Prussia, Russia ed Austria ». Non videtur magni momenti.

Fol. 259. — Fides baptismatis et confirmationis cuiusdam pueri ritus graeco-slavici, a Iordano Mickiewicz die 2 septembris 1806 peracti. Haec fides nihil est nisi apographum slavico idiomate et cyrillianis characteribus exaratum.

VOLUMEN XX.

Deest titulus. Est Chronica Residentiae Romanae ab anno 1804 usque ad annum 1812. Duas partes habet hic Codex, unaquaque cum separata numeratione.

Pars prima

Foll. 1-2. — Protoarchimandrita Athanasius Falkowski ad Iosaphatum Bulhak, Episcopum Brestensem, Torokaniis, 3 iulii 1802.

Foll. 2v. — Iosaphat Bulhak, ad Athanasium Falkowski, Nowogrodek, 8 iulii 1802.

Fol. 3. — Relatio Athanasii Falkowski ad Spirituale Collegium Romano-Catholicum Petropolitanum, Vilnae, 16 iulii 1802.

Foll. 4-5. — Rescriptum Collegii Spiritualis Romano-Catholici Athanasio Falkowski, 9 iunii 1802. — Haec documenta pertinent ad Capitulum Torokanense.

Foll. 6-26. — Exemplar originale Actorum Capituli Generalis Torokanensis, mensis septembris 1802, ubi Iustus Hussakowski electus est Protoarchimandrita.

Foll. 27-46. — Exemplar originale Actorum Capituli Generalis Żydiczynensis, mensis octobris 1788, praesidente Theodosio Rostocki tunc Episcopo Chelmensi, in quo Porphyrius Skarbek Ważynski Protoarchimandrita renuntiatus est.

Pars altera.

Foll. 14-19. — Procura Generalis Patris Iosaphat de Lascaris, monachi Basiliani Monasterii Antopolitani, favore Patris Iordani Mickiewicz, Antopoli, 20 iulii 1804. Magni momenti pro historia familiae Lascaris. Videtur enim, *fol. 17*, Ioannem Baptistam Albertrandi Episcopum Zenopolitanum, Vicarium Apostolicum Varsaviensem sub Dominio Prussiaco, parentela coniunctum fuisse cum familia Lascaris.

Foll. 24-26. — Memoriale Procuratoris pro provisione sedis

Chelmensis favore Ferdinandi Ciechanowski aut Victoris Starožynski. Incipit: « Il Procurator Generale... supplica colla sua presente, acciocchè alla vacante Sede... ».

Foll. 28-31. — Textus russiacus Ukasi Alexandri I, diei 2 iulii 1801, quo Episcopus et tres Assessores ritus Graeco-Uniti inter membra Collegii Spiritualis Romano-Catholici accensentur.

Foll. 31-32. — Rescriptum imperiale polonico idiomate exaratum, Stanislao Siestrzencewicz, sine die et anno.

Foll. 32-39. — Epistola polonica Consultoris Generalis Ordinis, Leonis Dembowicz, ad Procuratorem Romanum, Poczaiew, 14 decembris 1805.

Foll. 43-54. — Varii Restrictus epistolarum D. Benvenuti circa res Unitorum in Russia.

Foll. 55-58. — Memoriale Procuratores, ad implorandum auxilium Pontificis in adiumentum Ruthenorum Unitorum in Russia. Incipit: « Essendo stati pervenuti gl'urgenti motivi... ».

Fol. 59. — Memoriale Procuratoris, ut novus deputetur Protector Residentiae SS. Sergii et Bacchi, necnon totius Ordinis Basiliani, loco Cardinalis Gio. Francisci Albani, defuncti.

Foll. 59-60. — Memoriale Procuratoris ad S. Officium, ut subdetur norma pro relationibus cum Russis acatholicis per Italiam iter facientibus.

Foll. 60-64. — « Prospectus Hierarchiae Ruthenae... stante Regno Poloniae ».

Foll. 64-69. — Memoriale Procuratoris Romani ad Imperatorem Russiae, 13 iunii 1805, ut sua protectione suscipiat Residentiam SS. Sergii et Bacchi, partim russice, partim polonice exaratum.

Foll. 69-71. — Epistola polonica Patris Iordani Mickiewicz ad quemdam Principem Russum, ut videtur, de eodem argumento, 13 iulii 1805.

Foll. 74-77. — « Memoriale ad Sacram Congregationem de Propaganda Fide respectu restaurandi Metropoliam Haliciensem Ruthenorum Unitorum ». Incipit: « Haud quando potuit maior necessitas, aut magis commodus... ».

Foll. 87-89. — Memoriale Procuratoris circa saecularizationes Basilianorum. Incipit: « Non potendosi nelle presenti circostanze ottenere dalla Sua Santità Pio VII... ».

Foll. 89. — Attestatum ad Secretarium Datariae, de eodem argumento.

Foll. 90-92. — Rescriptum S. Officii, feria IV, die 11 septembris 1805, circa adsistentiam spiritualem Russorum acatholicorum. Pertinet ad *foll. 59-60.*

Foll. 92-93. — Memoriale Isidori Jemiolkowski, Superioris Residentiae Varsaviensis Basilianorum, petentis novam relaxationem abstinentiarum, cum Rescripto ex Audientia SS.mi, diei 19 novembris 1805.

Foll. 93-99. — Epistola polonica Stephani Lewinski, Episcopi Luceoriensis, diei 12 novembris 1805, ad Procuratorem Romanum,

cum adnexa copia duorum Ukasorum in polonica versione, dierum 16 iulii 1805 et 8 septembris 1805.

Foll. 100-101. — S. C. ad Stephanum Lewinski, Episcopum Luceoriensem, 30 novembris 1805. Incipit: « In tanta, qua versamur, temporum acerbitate... ».

Foll. 101-102. — Memoriale Procuratoris ad Cardinalem Della Porta, Praefectum Congregationis dictae « del buon Governo », circa solutionem subsidii a pia Opera polona Lauretana debiti.

Foll. 108-114. — Diploma Laurentii Littae, pro translatione Iosaphati Bulhak ad sedem Brestensem, Petropoli, 28 decembris 1798, 8 ianuarii 1799.

Foll. 114-119. — Diploma eiusdem Littae, pro ampliatione iurisdictionis Stephani Lewinski, Episcopi Luceoriensis, Petropoli die 4/15 ianuarii 1799.

Foll. 120-121. — Prorogatio ad alium annum facultatum extraordinariarum Stephano Lewinski, Episcopo Luceoriensi, concessarum. Ex Audientia SS.mi, diei 25 maii 1806.

Foll. 137-141. — « Ustawa dla Dóchownego i Kościelnego wżadzenia Rzymsko-Katolickiego Wyznania ». Polonica versio Ukasi Imperatoris Alexandri I, diei 13 novembris 1801.

Foll. 141-145. — Epistola polonica Patris Iusti Hussakowski, Provincialis Ordinis SBM ad Procuratorem Romanum, Poczaiew, 30 maii 1806.

Foll. 145-146. — Epistola polonica Heraclii Lissowski, Archiepiscopi Polocensis, Stephano Lewinski Episcopo Luceoriensi, Petropoli, 10 maii 1806.

Foll. 146-150. — Memoriale Procuratoris occasione Capituli provincialis in Russia convocandi. Initium: « Dum cogitur Provincia OSBM Congregationis Ruthenorum sub titulo Patrocinii B.V.M. erecta obedire mandatis Collegii... ».

Foll. 150-151. — Memoriale Iuliani Zdziuszynski, Provincialis Provinciae SS.mi Salvatoris in Galicia, ut sibi liceat unam tantum Missam pro pluribus eleemosynis valde minimis celebrare, necnon Religiosis suis. Cum Rescripto ex Audientia SS.mi, diei 6 iunii 1806.

Foll. 151-154. — « Lo stato dell'Ospizio del Pascolo descritto in occasione che voleva informarsi il Ministro Imperiale », id est, Orator Austro-Hungaricus apud S. Sedem, 13 iulii 1806.

Foll. 156. — Rescriptum ex Audientia SS.mi, diei 10 augusti 1806, circa numerum vocalium in proximo Capitulo Provinciali Basilianorum Russiae.

Foll. 156-157. — Rescriptum ex Audientia SS.mi, diei 10 augusti 1806, quo ad triennium prorogantur facultates olim concessae a Laurentio Litta Episcopis Ruthenis in Imperio Russiaco existentibus pro regimine Basilianorum.

Foll. 157-158. — Textus russiacus et latina versio Ukasi Imperialis, diei 24 iulii 1806, quo Heraclius Lissowski Metropolita Ruthenorum catholicorum in ditione Russiaca renuntiantur.

Foll. 158-163. — Epistola Consistorii r. l. Praesmiliensis ad S.

C., diei 15 septembris 1806, circa transitum ad ritum latinum cuiusdam Patris Nicandri Mikołaiewicz, Basiliani.

Foll. 164-166. — Epistola polonica Procuratoris Romani ad... sine die et anno, circa Hospitium SS. Sergii et Bacchi.

Foll. 166-173. — Responsio Procuratoris Romani ad S. C. in causa Patris Nicandri Mikołaiewicz, 4 decembris 1806. Incipit: « Cum Consistorium Praemisliense ritus latini protegendo aufugum ad se P. Nicandrum... ».

Foll. 173-177. — Samuel Vulcan, Episcopus nominatus Magno-Varadinensis Rumenorum, Procuratori Romano Iordano Mickiewicz, Magno-Varadini, 23 februarii 1807. Sequitur responsio Procuratoris.

Foll. 180-182. — S. C. ad Episcopum Gołaszewski Praemisliensem r. l., in causa Patris Nicandri Mikołaiewicz. Incipit: « Litteris nostris ad Amplitudinem Tuam... », 13 decembris 1806.

Foll. 182-193. — Apographus Decreti Gubernii I. et R. Austriaci, de dotatione novi Metropolitae Haliciensis.

Foll. 183-186. — Ukas Alexandri I, diei 16 decembris 1806, circa monasterium S. Sophiae Polocensis et seminarium in eo erigendum pro Unitis Ruthenis. Textus russiacus.

Foll. 197-201. — Apographus percelebris epistolae Stephani Lewinski ad E.mum Praefectum, Poczaioviae, 23 aprilis 1806. Sequitur textus slavicus ekphoneseos in ecclesiis unitis Imperii Russiaci usitatae, tempore maioris ingressus cum calice.

Foll. 202-205. — « Notitia de rebus Ruthenorum sub dominio Russiae existentium, sub die 3 iunii 1807 anno ab Ill.mo D.no Stephano Lewinski Episcopo Rutheno Dioecesis Luceoriensis Romam mandata ». Incipit: « I. Ill.mus Heraclius Lissowski Archiepiscopus Polocensis, decoratus ordine S. Annae... ».

Foll. 217-223. — Notitia de nova distributione Monasteriorum in Imperio Russiaco, Petropoli, 27 iulii 1807. Initium: « Clarae memoriae Imperatrix Catharina II, videns in Guberniis a Polonia... ».

Foll. 224-269d. — Series documentorum circa invasionem Gallicam in Statum Ecclesiasticum. Nihil ex his pertinet ad Ruthenos, sed magni momenti esse videntur, utpote scripti ab homine teste omnium circumstantiarum, sed forse maior pars iam typis in Gallia alibive mandata est.

Foll. 269d-269m. — Apographum Bullae Pii VII « *In universalis Ecclesiae Regimine* » 8 Kalendas Martii 1807, qua instauratur Sedes Metropolitica Haliciensis.

Foll. 270-288. — Dissertatio de Epiclesi.

Foll. 288-301. — S. Ioannis Damasceni *De Azymis*, versio latina e Codice Cryptoferratensi a Patre Iordano Mickiewicz adornata, tempore, ut videtur, invasionis Gallicae.

Foll. 311-317. — Apographum ex Bullario Romano Bullae Ioannis XXIII, « *In eminenti specula* », 5 Kal. Septembris 1412, qua erigitur cathedralis Ecclesia Leopoliensis.

Foll. 318-319a. — Memoriale Procuratoris ad S. C. de Propa-

ganda Fide, de re oeconomica Hospitii SS. Sergii et Bacchi, cum Rescripto ex Audientia SS.mi, diei 10 iunii 1808, et adnexa copia proventuum et expensarum dicti Hospitii ab anno 1789 usque ad annum 1807. Aliud rescriptum habetur *foll. 334-335.*

Foll. 321-325. — Memoriale et rationes variae opificum.

Foll. 326-328. — Epistola polonica Patris Iordani Mickiewicz ad officium provinciae Lithuanae post mortem eius socii Basilii Kaminski, 14 ianuarii 1809.

Foll. 329-332. — Memoriale Procuratoris ad S. C. de Propaganda Fide, de re oeconomica SS. Sergii et Bacchi, 25 martii 1809. Incipit: « La chiesa de' SS. Sergio e Bacco, detta volgarmente della Madonna del Pascolo, con Breve di Urbano VIII... ».

Foll. 333-334. — Responsio Patris Fortunati Gintowt, Vilnae, 23 martii 1809, ad epistolam Procuratoris quae *foll. 326-328* habetur. Polonico idiomate.

Foll. 336-414. — Series documentorum a Patre Iordano Mickiewicz exaratorum, circa administrationem temporalem Hospitii Rutheni SS. Sergii et Bacchi, tempore invasionis gallicae.

Foll. 414-415. — S. C. ad Ferdinandum Ciechanowski, Episcopum Ruthenum Chelmensem, 17 decembris 1814.

Foll. 415-416. — S. C. ad Adalbertum Skarzewski, Episcopum Latinum Chelmensem, 17 decembris 1814.

Foll. 416-417. — Memoriale Michaelis Harasiewicz ad Pontificem, circa transitum ad ritum latinum, cum responsione S. C., 25 novembris 1815.

Foll. 418-419. — Notificatio Iosephi Antonii Sala, Secretarii Congregationis particularis de Reformatione — della Riforma — typis impressa, circa instaurationem Conventuum vel Domorum Religiosarum, Patri Iordano Mickiewicz ut Rectori SS. Sergii et Bacchi transmissa.

Foll. 421-424. — Fasciculus diarii « *Diario di Roma* » Numero 43, 30 novembris 1814.

Foll. 425-427. — Decretum Congregationis Reformationis, die 22 augusti 1814.

Foll. 429-430. — « Rapporto dell'Ospizio, ovvero Collegio de' SS. Sergio e Bacco, detto presentemente la Madonna del Pascolo, alla Commissione deputata sui Beni Ecclesiastici, li 30 settembre 1814 consegnato ».

VOLUMEN XXI.

Titulus: « Inscriptio quietationum a variis artificibus domus SS. Sergii et Bacchi datarum Procuratoribus Rectoribus Ordinis S. Basilii Magni Congregationis Ruthenorum, inchoata ab anno 1757 usque ad annum ultimae paginae huius libri », id est usque ad annum 1826.

Fol. 2. — « Liber hospitii Romani ed Ecclesiam SS. Sergii et Bacchi Congregationis Ruthenorum Ordinis S. Basilii Magni sub

Rectoratu R.mi Patris Don Hieronymi Oziemkiewicz Congregationis eiusdem Procuratoris Generalis, anno Domini 1757 die prima maii factus, in quo continetur Ordo Preparationis Residentiae et calculationis cum variis artificibus seu operariis necnon iisdem operariis persolutio mercedis respectis quod cuique debetur, per eosdem annotata seu de receptis quietata ut sequuntur ». Alia manu: « Vi sono in questo libro le ricevute fatte dalli artegiani al R.mo Padre D. Ignatio Wołodzko e al R.mo Padre Geroteo Korczynski, tutti due già Procuratori Generali — alia manu — e di più al R.mo Padre Giordano Mickiewicz.

Nihil aliud.

VOLUMEN XXII.

Codex sine titulo, in quo recensentur expensae Postae, sive pro epistolis mandatis, sive pro receptis debita taxa non soluta, necnon donativa ad familiares Cardinalium, officiales S. C. de Propaganda Fide aliosve, occasione Nativitatis Domini vel Assumptionis B.M.V., vulgo « Ferragosto », ut mos est Romae, ab anno 1788 usque ad annum 1826.

Nihil aliud.

Praesens Catalogus Archivi Procuratoris Romani ad SS. Sergium et Bacchum, a me infrascripto, iussu et benedictione Illustrissimi et Reverendissimi Domini mei ANDREAE in SZEPTYCE SZEPTYCKYJ, Metropolitae Haliciensis, incaeptus est die 11/24 septembris, et perfectus die Dominica SS. Patrum VII Oecumenici Concilii adversus Iconoclastes, id est 14/27 octobris anni 1912.

Leopoli, in Palatio Metropolitano, die et anno ut supra.

CIRILLO KOROLEVSKIJ (*mp*)

A. Hodinka (†)

DOCUMENTA KORIATOVICSIANA ET FUNDATIO MONASTERII MUNKACSIENSIS (cont. 2)

Visegrad, 14 Nov. 1414.

19.

Sigismundus rex Hungariae etc. in causa inter principem Theorum, ducem Podoliae, et nobiles de Salank vergente iudicium dictat.

Tabularium Conv. de Lelesz, *Met.nro* 11 (orig.); transumptum in lit, conv. de an. 1627.

Sigismundus dei gracia Romanorum rex semper augustus ac Hungarie etc. rex etc. Damus pro memoria, quod Martinus de Posahaza pro illustri principe domino Theodoro, duce Podolie, cum procuratoriis litteris conventus ecclesie de Lelez iuxta continenciam litterarum nostrarum prorogatoriarum in octavis beati Michaelis archangeli in anno domini MCCCCIX° praeteritis in figura nostri comparendo contra Thybam et Joannem, filios Petri de Salank quasdam litteras dicti conventus de Lelez inquisitorias ad nostrum litteratorium mandatum nobis rescriptas tenoremque litterarum nostrarum ipsi conventui directarum verbaliter in se habentes, asserens actionem et proposicionem dicti actoris litteris contineri in eisdem, nobis praesentavit declarantes, quod noster et dicti conventus homines litteris in eisdem nominati et ad nostrum litteratorium mandatum transmissi in comitatu de Beregh simul procedendo ab omnibus, quibus decuisset et licuisset talem scrivissent veritatem, quod praescripti Thyba et Johannes, filii Petri de Salank, annis prioribus retroactis magnam particulam terre ipsius domini ducis intra metas possessionis sue Beregh vocate existentem potentialiter occupando reservarent ac fructibus et utilitatibus eiusdem usi fuissent in praeiudicium dicti domini Theodori ducis valde magnum. Quibus exhibitis praefatus procurator dicti actoris eidem ex parte annotatorum Thiba et Joanne per nos in praemissis iuris equitatem postularat impertiri. Quo audito Dyonisius de Dobouch pro ipsis Thiba et Joanne similiter cum procuratoriis litteris dicti conventus de Lelez in eandem nostram specialem exurgendo praesentiam responderat ex adverso, quod iidem Thiba et Joannes nullam terre particulam dicti domini Theodori ducis intra terminos eiusdem possessionis sue Beregh vocate occupassent,

---

[1] Cfr. « *Analecta OSBM* », Ser. II, Sec. II, vol. I, fasc. 2-3, p. 339-359 .

nec occupata usi fuissent, sed si idem dominus Theodorus dux aliquam terre particulam per ipsos fore sciret occupatam, extunc legitime veniendo eandem recaperet. Talem enim recapere posset, cuius statucioni dicti Thiba et Joannes nullam facerent contradictionem, talem autem recapere posset, in cuius statucione iidem contradictionis velamine obviarent. Et ibidem ad dictam possessionariam recaptivacionem dictum dominum Theodorum ducem legitime invitarat. Et quia ad ipsam possessionariam recaptivacionem et statucionem faciendas noster et dicti conventus de Lelez homines necessario debuerant destinari, pro eo fidelitati ipsius conventus firmiter praecipiendo mandaramus, quatemus ipsorum mitterent hominem pro testimonio fidedignum, quo praesente homo noster infradeclarandus ad faciem praedicte possessionis Beregh vocate et per consequens talis particule terre, quam dictus dominus Theodorus dux vel legitimus suus procurator per praefatos Thibam et Joannem diceret fuisse et fore occupatam, vicinis et commetaneis suis universis inibi legitime convocatis et praesentibus accedendo, recaperet eandem nomine iuris dicti domini Theodori ducis recaptivatamque et ab aliorum possessionariis iuribus separatam et distinctam cum omnibus suis utilitatibus et pertinenciis quibuslibet statueret et committeret eidem domino Theodoro duci iure sibi incumbenti perpetuo possedendam, si per praefatos Thibam et Joannem aut alios non fieret contradictum, contradictores vero, si qui, exceptis praefatis Thiba et Joanne, fierent, evocaret ipsos contra annotatum dominum Theodorum ducem nostram specialem in praesentiam ad octavas festi epiphaniarum domini nunc venturas racionem contradictionis eorum reddituros. Si vero iidem Thiba et Joannes in aliquo contradicerent, ex tunc ipsos evocare non incumberet, cum in lite essent cum domino Theodoro duce et cum eodem in octavis eisdem sine aliqua citacione coram nobis comparere deberent similiter racionem contradictionis eorum reddituri. Particulam vero seu terrarum particulas per quempiam prohibitam seu prohibitas, visa undique qualitate, quantitate, fructuositate et valore, eandem regali mensura mensurando vel si mensurari nequiret, visu considerando, una cum aliis probis et nobilibus viris, deum et eius iusticiam ferendo prae oculis, estimaret eandem vel easdem in condigno earum precio et valore lege regni requirente. Et post hec ipsius possesionarie recaptivacionis, statucionis et estimacionis seriem cum nominibus contradictorum et citatorum, si qui, exceptis dictis Thiba et Joanne, fierent, ad easdem octavas eidem nostre speciali fideliter rescriberet maiestati conventus de Lelez antefatus. Tandem ipsis octavis instantibus praefatus Martinus de Posahaza pro annotato domino Theodoro duce cum procuratoriis litteris dicti conventus ad nostram specialem veniendo in praesenciam litteras dicti conventus super praemissis rescriptionales nobis praesentarat declarantes, quod ipse conventus receptis litteris nostris adiudicatoriis iuxta earundem continenciam una cum Emerico de Orozy, homine nostro, ipsorum hominem, vi-

delicet Nicolaum literatum Ezen ecclesie ipsorum clericum, ad praemissa exequenda ipsorum pro testimonio destinasset. Qui demum exinde ad ipsum conventum reversi eidem concorditer retulissent, quod ipsi feria V-a proxima ante festum epiphaniarum domini tunc praeteritum ad faciem cuiusdam particule terre ultra fluvium Borsva nominatum a parte possessionis Salank praedicte adiacentis, quam praedictus Martinus de Posahaza procurator antefacti domini ducis in persona eiusdem per praefatos Thibam et Joannem dixisset fore occupatam, vicinis et commetaneis suis universis inibi legitime convocatis et praesentibus accessissent. Et cum eandem per signa metalia in dictis litteris dicti conventus rescriptionalibus contenta et conscripta a dicta possessione Salank nuncupata separatam nomine iuris dicti domini ducis recaptivando et recaptivatam cum omnibus suis utilitatibus et pertinenciis quibuslibet ipsi domino duci iure sibi incumbenti perpetuo possidendam statuere et committere voluissent, tunc Petrus dictus Kon, familiaris Georgii, filii praedicti Joannis, filii Petri, illis adherendo in persona cuiusdam Georgii, domini sui, ipsos a statucione dicte particule terre recaptivate praelibato domino Theodoro duci fienda prohibuissent contradicendo. Propter quod ipsi die et loco in praetactis ipsum Georgium, filium Joannis, contra annotatum dominum Theodorum ducem ad dictas octavas festi epiphaniarum domini tunc venturas nostram specialem evocassent in praesenciam racionem contradictionis suae redditurum. Praefatos vero Thibam et Joannem racionibus ex praescriptis non citassent. Ipsam vero particulam terre prohibitam seu litigiosam visa undique ipsius qualitate, quantitate, fructuositate et valore una cum aliis probis nobilibus viris non mensurando, sed visu considerando ad sex aratra, terras videlicet arabiles ad duo aratra, silvas glandinosas et alias ad quatuor aratra regalis mensure estimassent. Ad quas quidem octavas festi epiphaniarum domini praefati Thiba et Georgius per annotatum procuratorem dicti domini ducis in persona eiusdem congruis diebus ipsarum octavarum coram nobis expectati nostram specialem in praesentiam non venerant, neque miserant, se mediantibus aliis nostris litteris iudicialibus exinde confectis in iudiciis aggravari permittendo, postulans praefatus procurator dicti domini ducis eidem ex parte dictorum Thiba et Georgio per nos in praedicti iuris equitatem impartiri. Et quia idem Thiba et Georgius ad praemissa evocati fore visi fuerant, pro eo cum nos memoratos Thibam et Georgium ad praemissa primo ad octavas festi beati Georgii martyris, tunc praeteritas, evocari et tandem contumacia ipsorum requirente in praemissis discussionem recepturos ad de iudiciis in toto decem et octo marcas facientibus iudici et parti adverse satisfacturos contra annotatum dominum ducem ad octavas festi beati Jacobi apostoli in dicto anno domini MCCCCIX° praeteritas per nostros et dicti conventus homines in tribus foris comprovincialibus publice et manifeste nostram specialem in praesenciam proclamari fecissemus, tandem ipsis octavis ius dantibus praeli-

batus Martinus de Posahaza pro antefato domino Theodoro duce cum procuratoriis litteris memorati conventus ad nostram specialem veniendo in praesentiam, racionem praemisse contradictorie inhibicionis assignari postularat per Thibam et Georgium supradictos coram nobis. Quo audito Stephanus litteratus pro praedictis Thiba et Georgio cum procuratoriis litteris capituli ecclesie Varadiensis in eandem nostram specialem exurgendo praesenciam responderat ex adverso, quod ipsi praemisse possessionarie recaptivacionis et statucionis in personis dictorum Thiba et Georgio pro eo prohibicio facta fuisset praenotata quod ipsa particula terre, quam praefatus dominus Theodorus dux recaptivando sibi statui facere voluisset, iam dicto Thiba et Georgio vigore instrumentali pertineret. Quae instrumenta iidem non ad tunc, sed in termino ulteriori per nos ipsis dando exhibere prompti fuissent et parati. Unde nos his perceptis una cum regni nostri nobilibus nobiscum in iudicio existentibus iudicantes, commiseramus eo modo, ut praefati Thiba et Georgius universa litteralia eorum instrumenta, si que in facto praescripte terre litigiose haberent confecta in octavis festi beati Michaelis archangeli tunc venturis contra annotatum dominum ducem exhibere teneantur coram nobis, quibus visis iudicium et iusticiam facere valeremus inter partes in praemissis, prout dictaret ordo iuris. Quia autem praefati Thiba et Georgius praescripta iudicia X et VIII marcarum tunc iudici et parti adverse persolvere debencium non persolverant, ideo octavis in eisdem cum duplo persolvere commiseramus. A quibus quidem octavis dum praemissa instrumentalis exhibicio partes inter praenotatas diu propemodum ventilanda evocacioneque et proclamacione in huiusmodi litium processibus fieri consuetis per annotatum dominum Theodorum ducem contra et adversus annotatum Georgium de Salank eiusdem absentia et rebellione requirentibus iuridice observatis et peractis, ultimatim tandem eo, quod idem Georgius in nostra exercituali expedicione contra Venetos pridem habita exhibicione aliarum litterarum nostrarum occupatus fore declaratus extitisset mediantibus litteris nostris prorogatoriis sentencionalibus simul cum duabus partibus iudiciorum CC et XCVI marcarum duplatis iudicis ac aliis iudiciis XLII-as marcas facientibus sine duplo parti adverse per ipsum Georgium persolvendarum octavas festi beati Georgii martyris in anno proxime transacto praeteritas dilative attigisset. Ipsis denique octavis instantibus Stephanus de Bulcho pro praefato domino Theodoro duce cum procuratoriis litteris praescripti conventus de Lelez ad nostram specialem veniendo praesenciam, volens dictam terre particulam praefato domino duci de iure pertinere debere declarare, quasdam litteras dicti conventus metales in festo undecim millium virginum anno MCCCLX-IV° privilegialiter confectas nobis demonstrarat exprimentes, quod quia serenissimus princeps olim dominus Ludovicus, rex regnorum praedictorum, p. m. pater et socer noster carissimus, possessiones et liberas villas serenissime principisse Elisabeth regine matris sue

praecare in comitatu de Beregh existentes a nobilium possessionibus in eodem comitatu existentibus propter evitandas saepissimas contenciones reambulari et metas earundem erigi et renovari commisisset pro eo eiusdem domini Ludovici regis et dicti conventus homines litteris in eisdem nominati et ad literatorium edictum dicti domini Ludovici regis transmissi V° die octavarum festi beati Michaelis archangeli tunc praeteriti ad faciem possessionis Beregh vocate legitimis vicinorum et commetaneorum convocacionibus factis accedendo eandem circumquaque mediantibus novarum metarum erectionibus modo et ordine litteris in eisdem contentis reambulassent. Mete vero possessionis Beregh praedicte iuxta praemissam reambulacionem litteris in eisdem contentis serietim sunt conscripte. Quibus exhibitis praefatus procurator dicti domini Theodori ducis praescripta literalia instrumenta per praefatum Georgium de Salank exhibere assumpta exhibere postularat per eundem coram nobis. Quo audito Stephanus literatus de Benye pro eodem Georgio cum procuratoriis nostris in dictam nostram specialem exurgendo praesenciam pro praemissis per ipsum Georgium exhiberi assumptis litteralibus instrumentis litteras capituli ecclesie Agriensis privilegiales anno dom. incarn. MCCCXXXV° emanatas seriem et continenciam quarundam litterarum capituli ecclesie Varadiensis in festo nativitatis beati Joannis bapt. anno Iesu MCCXCV° privilegialiter exaratarum in se verbotenus continentes nostro iudicario ordini curarat exhibere manifestantes, quod Dominico et Demetrio comitibus, filiis Nicolai, ac Petro, filio Joannis filii Farkasii ab una parte, item comite Nicolao, filio Thibe, ab altera, coram praefato capitulo Varadiensi personaliter constitutis iidem Dominicus, Demetrius et Petrus comites super facto terre seu possessionis Fekethepatak vocate in comitatu de Ugocha existentis pro qua contra ipsum comitem Nicolaum, filium Thibe, iudiciario ordine procedere intendissent, ut dixissent, quia a commetaneis et vicinis dicte possessioni Feketepatak et specialiter in privilegio domini Stephani regis Hungarie fel. record. comperissent, ipsam possessionem ex donacione eiusdem domini Stephani regis per ipsum comitem Nicolaum, filium Thybe, pro fidelibus serviciis suis et sanguinis effusione multimodo fuisse possessam. Quas quidem litteras sive privilegium dicti Stephani regis super collacione eiusdem possessionis Feketepatak confectas idem capitulum Varadiense per ipsum Nicolaum exhibitas fide vidisset oculata et perlegisset, praevia racione iidem comites opinioni et intencioni eorum in hac parte resipuissent, imo quia eisdem ipsa possessio attinuisset et ab ipsis fuisset alienata, in praesentia praefati capituli Varadiensis per ipsos ab ipso Nicolao receptis sexaginta marcis ipsam possessionem praefato Nicolao ex bona eorum voluntate perpetuo possidendam cum omnibus suis utilitatibus sub metis et terminis ex tenore praedicti privilegii dicti domini Stephani regis extractis litterisque in eisdem seriatim specificatis statuissent. Quarum quidem litterarum exhibicionibus factis,

quia praefatus procurator dicti domini Theodori ducis praescriptam terre particulam litigiosam modo praemisso ad VI aratra estimatam intra certos cursus metarum dicte possessionis Beregh existere eandemque possessionem Beregh cum suis pertinenciis per nostram serenitatem praefato domino Theodoro duci donatam fore, annotatus procurator dicti Georgii de Salank eundem successorem et superstitem praefati Nicolai, filii Thibe, fore praescriptamque particulam terre litigiosam non intra limites dictarum metarum in praescriptis litteris dicti conventus de Lelesz contentarum, sed intra terminos praescriptarum metarum in dictis litteris capituli Agriensis praenominati adiacere indicentibus referebat nosque absque reambulacione et revisione metarum possessionum Beregh et Feketepatak praenarratarum in dictis praefatorum conventus de Lelez et capituli Agriensis litteris contentarum partes inter praenotatas congruens iudicium facere non potueramus, ad ipsos quoque revisionem et ambulacionem faciendam noster et dicti conventus de Lelez homines necessarie transmitti debere visi fuerant. Pro eo fidelitati dicti conventus firmiter praecipiendo mandaramus, quatenus ipsorum mitterent homines pro utrisque partibus pro testimoniis fidedignos, quibus praesentibus homo noster, infradeclarandus, XV° die festi beati Jacobi apostoli tunc venturi et aliis diebus ad id aptis et sufficientibus ad facies praescriptarum possessionum Beregh et Feketepatak vocatarum et per consequens particule terre antefate litigiose vicinis et commetaneis earum universis inibi legitime convocatis et dictis partibus vel earum legitimis procuratoribus praesentibus accedendo, primo praescriptam possessionem Beregh vocatam secundum demonstracionem dicti domini Theodori ducis vel legitimi sui procuratoris a parte dicte possessionis Feketepatak vocate serie dictarum litterarum praescripti conventus metalium semper ad illas plagas et loca, ad quas videlicet et que dicte littere metales procedere denotarent, tendendo, undique reambularet et signis metalibus consignaret, demum vero dictam possessionem Feketepatak a parte dicte possessionis Beregh iuxta ostensionem praefati Georgii de Salank vel legitimi eiusdem procuratoris secundum continenciam dictarum litterarum annotati capituli Varadiensis in seriebus praescriptarum litterarum praefati capituli Agriensis verbotenus insertarum per ipsasque partes inibi specietenus exhibendarum similiter semper ad illas plagas et loca, ad quas videlicet et quem eedem littere procedere denotarent, eundo, modo simili undique reambularet et signis metalibus consignaret. Et si ipse partes in huiusmodi possessionariis reambulacionibus concordes fierent, et sibi invicem non contradicerent, ex tunc cuilibet parti suum ius possessionarium certis et evidentibus metis a sese separatum et distinctum statueret et committeret perpetuo possidendum. Partibus autem discordantibus et sibi invicem contradicentibus particulam seu terrarum particulas inter ipsarum parcium demonstraciones in lite remanentem seu remanentes visa undique qualitate, quantitate, fructuositate et valore,

una cum aliis probis et nobilibus viris favore et amore parcium quibusvis procul motis, deum habendo prae oculis, estimaret eandem vel easdem in condigno eiusdem vel earundem precio et valore lege regni nostri requirente, ibidem eciam idque ipsarum parcium in dicta sua possessionaria reambulacione veriores et apparenciores metas ostenderet, et que in dominio dicte terre litigiose in toto vel in parte esset et existeret, videret, conspiceret et diligenter intueretur. Et post hec ipsarum possessionarie reambulacionis metarumque erectionis et renovacionis, estimacionis et revisionis series cum cursibus metarum inibi erigendarum ad VIII-um diem dictarum quindenarum eidem nostre speciali fideliter rescriberet maiestati conventus antelatus. Quia autem memoratus Georgius dicta iudicia tunc iudici et parti adverse persolvere debens non persolverat, ideo tempore reportacionis seriei praemissorum, videlicet VIII° die dictarum quindenarum, in praedicto cum duplo persolvere comiseramus. Et ab ipso VIII° die dictarum quindenarum dum discussio praemissorum propter absenciam praelatorum et baronum nostrorum praescriptis omnibus iudiciis duplum sortientibus seriebus litterarum nostrarum prorogatoriarum octavas festi epiphaniarum domini proxime praeteritas dilative attigisset. Ipsis tandem octavis adstantibus Stephanus de Bulcho pro annotato domino Theodoro duce cum procuratoriis litteris memorati conventus ecclesie de Lelez ab una ac Stephanus litteratus pro praefato Georgio de Salank similiter cum procuratoriis litteris dicti convenus parte ab altera in nostram specialem venientes praesenciam, litteras iamfati conventus super praemissis rescripcionales utrinque nobis praesentarunt. Quibus praesentatis licet ex serie earundem praefatus Georgius de Salank dictam possessionariam reambulacionem iuxta nostram iudiciariam commissionem antedictam meliori, imo veriori modo, quam praefatus dominus Theodorus dux, fecerit, tamen quia praefatus procurator dicti domini Theodori ducis eandem praemissam possessionariam reambulacionem iuxta continencias praescriptarum litterarum metalium annotati capituli Varadiensis per ipsum Georgium modo praemisso productarum pro gravamine, quo de regni nostri consuetudine conveniret, meliori modo exequi velle asseruerat, pro eo nos eundem dominum ducem, ad ipsam reambulacionem faciendam, uti actorem, cum iudicio regali VI marcarum per ipsum tempore reportacionis seriei praemissorum iudici et parti adverse, scilicet dicto Georgio persolvendo transmittentes, fidelitati annotati conventus de Lelez firmiter praecipiendo mandaramus, quatenus ipsorum mitterent homines pro utrisque partibus pro testimonio fidedignos, quibus praesentibus homo noster de curia nostra per nos ad id specialiter trasmissus VIII° die festi beati Georgii martyris tunc venturo et aliis diebus ad id aptis et sufficientibus ad facies praescriptarum possessionum Beregh et Feketepatak vocatarum vicinis et commetaneis earundem universis inibi legitime convocatis et praedictis partibus vel earum legitimis procuratoribus praesentibus accedendo

praemissam possessionariam reambulacionem, metarum demonstracionem et consignacionem, estimacionem et revisionem obmissis praescriptis litteris annotati domini Theodori ducis metalibus iuxta continenciam dictarum litterarum metalium memorati capituli Varadiensis pro parte ipsius Georgii confectarum inibi in specie per ipsum exhibendarum iuxta nostram iudiciariam commissionem antedictam faceret et exequeretur omnino modo praenotato, et post hec ipsius possessionarie reambulacionis metarum demostracionis et consignacionis, estimacionis et revisionis series cum cursibus metarum inibi erigendarum ad VIII-um diem dictarum octavarum nostre speciali fideliter rescriberet maiestati conventus sepefatus. Quia autem praefatus Georgius dicta iudicia tunc iudici et parti adverse solvere debens non persolverat, ideo tempore reportacionis seriei praemissorum, videlicet VIII° die dictarum octavarum in praescripto cum duplo persolvere commiseramus. Tandem ipso VIII° die dictarum octavarum interveniente praefatus Stephanus de Bulcho pro antefato domino Theodoro duce cum procuratoriis litteris memorati conventus ab una, parte vero ab altera Stephanus litteratus pro praefato Georgio de Salank cum procuratoriis litteris antedicti capituli Varadiensis ad nostram specialem venientes praesenciam, litteras iamfati conventus de Lelez super praemissis rescripcionales utrinque nobis praesentarant continentes hunc tenorem: *Sequitur lit. rescriptionalis eiusdem conv. sub data 8 maii 1414.* Quibus praesentatis dictisque procuratoribus ipsarum parcium, eisdem partibus in praemissis finem et deliberacionem dari postulantibus licet nos inter ipsas partes secundum seriem et continencias dictarum litterarum superius conscriptarum in praemissis congruens iudicium et finem conclusivum voluerimus, tamen quia dicti procuratores parcium praedictarum in dicta earum metali ostensione et specialiter in demonstracione fluvii Rednek in praedictis litteris metalibus dicit capituli Varadiensis expressi et denotati discordes fuissent, quod praedicti procuratores ipsarum parcium praemisse possessionarie reambulacioni dictum fluvium Rednek in aliis et aliis locis et nominibus demonstrando nominassent, ut puta fluvium per ipsum procuratorem dicti domini ducis actoris hoc nomine Rednek ostensum et nuncupatum, sed Hideger appellari e converso eciam fluvium per antelatum procuratorem ipsius Georgii in causam attracti hoc nomine Rednek demostratum et appellatum praetaxatus procurator dicti domini ducis actoris similiter non hoc nomine Rednek, sed Palochpataka nominari contra sese recitassent et his dictis procuratores dictarum parcium easdem veridice attestacionis vicinorum et commetaneorum nobiliumque suorum conprovincialium per formam communis inquisicionis fiende nobis legitime requirentibus submiserant nosque absque recepcione certitudinis praemissarum inter partes ipsas in praemissis merum iudicium et finem conclusivum facere non poteramus, ad ipsam igitur communem inquisicionem faciendam volentibus dictis procuratoribus ipsarum parcium ut praemittitur, noster

et dicti conventus de Lelez homines necessario transmitti debere nobis et regni nostri nobilibus nobiscum in iudicio existentibus cernebatur. Pro eo fidelitati eiusdem conventus firmiter praecipiendo mandaramus, quatenus ipsorum mitterent homines pro utriusque partibus, pro testimonio fidelignos, quibus praesentibus homo noster de curia nostra, per nos ad id specialiter transmissus, in quindenis festi beati Jacobi apos. tunc venturi ad faciem dicte terre litigiose inter ipsas partes, ut praemittitur, in lite habite, ubi videlicet ipsi partes dictam communem inquisicionem fieri voluerant, vicinis et commetaineis earundem parcium universis inibi legitime convocatis et ipsis partibus vel earum legitimis procuratoribus praesentibus accedendo primo ab eisdem vicinis et commetaneis demumque a nobilibus comprovincialibus comitatuum de Beregh et de Ugocha ac ab aliis cuiusvis status et praeminencie eorum comitatuum hominibus per ipsas partes illuc convocandis et congregandis ad fidem eorum deo debitam fidelitatemque nobis et sacro nostro diademati observandam tacto vivifice crucis ligno praestitam, odio, favore et amore parcium postergatis, sine scrupolo cuiuslibet falsitatis, deum et iusticiam ferendo prae oculis de eo, utrum praescriptus fluvius seu meatus aque per antefatum procuratorem dicti domini ducis pro meta ostensus hoc nomine Rednek vel nomine Hideger vocitaretur, seu praenotatus fluvius per praetexatum procuratorem ipsius Georgii de Salank in causam attracti similiter pro meta demostratus ipso nomine Rednek aut vocabulo Palochpataka appellaretur, sciret, inquireret et experiretur meram omnimodam atque plenissimam veritatem, et post hec ipsius communis inquisicionis seriem cum propriis et possessionum attestancium nominibus ad VIII-um diem dictarum quindenarum nostre speciali fideliter rescriberet maiestati conventus de Lelez praelibatus. Quia autem praefatus Georgius de Salank duas partes dictorum iudiciorum CC et XCVI marcarum duplatas cum duplo duplato iudici et XLVI marcas similiter duplatas parti adverse seu praefato domino Theodoro duci, idem eciam Theodorus dux iudicio sex marcarum similiter iudici et parti adverse, ut puta, praefato Georgio de Salank tunc persolvere debentes non persolverant, ideo tempore reportacionis seriei praemissorum cum duplo persolvere commiseramus. Tandem ipso octavo die dictarum quindenarum occurente praefatus Stephanus de Bulcho pro praefato domino Theodoro duce cum procuratoriis litteris dicti conventus ab una, ac praedicto Stephano literato pro praelibato Georgio de Salank similiter cum procuratoriis litteris dicti conventus parte ab altera ad nostram specialem venientes praesenciam litteras dicti conventus super praemissa communi inquisicione rescripcionales utrinque nobis praesentaverant, iudicium et iusticiam dictis partibus in praemissis per nostram claritatem praeberi humiliter postulantes. Quibus exhibitis, quia ex serie earundem litterarum dicti conventus rescripcionalium multo plures vicini et commetanei nobilesque comprovinciales per praesentes partes in dicta communi

inquisicione convocati pro parte dicti Georgii de Salank, quam pro parte dicti domini Theodori ducis attestati extitisse in praemissis eciam parcium reambulacionibus semper praefatus Georgius de Salank veriores et apparenciores metas, quam annotatus Theodorus dux ostendisse, in dominioque ipsius terre litigiose idem Georgius de Salank per praefatos nostrum et dicti conventus homines repertus extitisse, dictà quoque terra litigiosa in silvis scilicet ad V. aratra, in terris vero arabilibus ad 1 aratrum regalis mensure per eosdem nostrum et dicti conventus homines estimata extitisse lucide adinveniebatur, sicque et ex causis praemissis adhuc super praemissa terre particula litigiosa, silvarum scilicet V. aratrorum et terre 1 aratri ipsi Georgio de Salank iuxta praemissam terre litigiose antedicte estimacionem iuramentum imponi et adiudicari debere nobis et regni nostri nibilibus nobiscum in iudicio existentibus agnoscebantur. Pro eo nos una cum eisdem regni nostri nobilibus iudicantes commisimus eo modo, quod praefatus Georgius de Salank XXV° die festi beati Michaelis archangeli, nunc venturo, ad faciem dicte possessionis Salank et per consequens terre litigiose antefate vicinis et commetaneis eiusdem universis inibi legitime convocatis et dictis partibus vel earum legitimis procuratoribus nec non magistris Michaele de Thur vel Sigismundo de Mezewsomplio aut Joanne de Bodrogh vel Ladislao de Thezer, sive Petro de Herman, curie nostre notariis, aliis absentibus homine nostro per nos ad id specialiter transmisso, nec non testimoniis dicti conventus, qui per ipsum conventum partibus illic transmitti iubemus, praesentibus accedendo ibique prius predictas metas et signa metalia iamdictae possessionis Salank in dicta reambulacione per ipsum ostensas et demonstrata, a parte scilicet dicte possessionis Beregh, undique reambulando in una ipsarum metarum aut signorum metalium centesimo et quinquagesimo tercio sc, ad quodlibet aratrum scilicet dictarum silvarum tricesimo sc, ac terre tercio sc, nobilibus, ita videlicet, quod unus vel duo ex dictis vicinis et commetaneis in dicta communi inquisicione pro parte sui attestatis ibidem interesse debeant, comparendo discalceatis pedibus, resolutis angulis et terram super caput suum ponendo generaliterque dicendo, prout moris est iuxta regni nostri consuetudinem iurare super terram, super eo, quod praescripte mete et signa metalia per ipsum reambulate et demonstrate semper et ab antiquo dicte possessionis sue Salnak extiterint ipsaque silva ac terra litigiose, ut praemittitur ad VI aratra estimate ad eandem possessionem Salank pertinuerint et nunc pertinere debeant, sacramentum praestare teneatur. Qui si praestiterit et praestare poterit, ex tunc dictis metis et signis metalibus per ipsum ostensis renovatis et in bene apparentes metas elevatis, ipsam silvam et terram litigiosas sub earundem metarum inclusionibus eidem Georgio et suis heredibus ad dictam possessionem Salank annectere, si vero praestare nollet aut non posset, ex tunc praescriptis metis et signis metalibus per ipsum Georgium de Salank demonstratis obmis-

sis et postergatis ipsas silvam et terram litigiosas per reambulaciones et erectiones metarum et signorum metalium per praefatum dominum Theodorum ducem demonstratarum eidem domino duci ad praedictam possessionem Beregh applicando in perpetuum statuere et committere praefati nostri et dicti conventus homines debeant et teneantur. Et quia ipsa iuramentalis deposicio multa verba in se habet, volumus et serie praesentium committimus, ut testimonium dicti conventus pro parte dicti Georgii destinatus seriem ipsius iuramenti eidem Georgio paulatim de verbo ad verbum recitare teneatur. Et post hoc iuramentalis deposicionis ac possessionnarie statucionis seriem cum cursibus metarum inibi erigendarum nominibusque coniuratorum ad octavas dicti festi beati Michalis archangeli partes in litteris memorati conventus nostre speciali reporatare teneantur maiestati. Quia autem ipse partes dicta iudicia nunc iudici et sibi ipsis persolvere debentes non persolverunt, ideo in dictis octavis festi beati Michaelis archangeli iuxta regni consuetudinem perdurantibus cum duplo persolvere teneantur. Praesentes autem propter absenciam venerabilis patris domini Eberhadi episcopi ecclesie Zagrabiensis, aule nostre concellarii, et sigillorum nostrorum erga ipsum habitorum sigillo eiusdem fecimus consignari. Datum in Visegrad XL° die termini praenotati anno Domini MCCCCXIV°.

20.

Lelesz, 11. Dec. 1414.

Conventus de Lelesz notum facit, Georgium de Salank in causa sua contra Theodorum, ducem Podoliae, a Sigismundo rege Hungariae in sua sup. sub nro 19 publ. littera adiudicatoria sibi dictatum iuramentum super terram litigiosam praescripto modo cum seu coram 153 nobilibus praestitisse.

ARCHIVUM. COM. KAROLYI (orig. in chart.); ed. in *Cod. com. Karolyi de Nagy-Karolyi*, vol. II (1883), p. 12-16 (Col. Geresi).

Omnibus Xti fidelibus praesentibus pariter et futuris praesencium noticiam habituris Nicolaus praepositus et conventus ecclesie s. crucis de Lelez salutem in omnium salvatore. Ad universorum noticiam harum serie volumus pervenire, quod cum nos iuxta continencias literarum unius specialis praesencie excellentissimi dom. nostri dom. Sigismundi dei gracia Rom. regis semper augusti ac Hungarie etc. regis adiudicatorie modum et formam iudiciarie sue deliberacionis et commissionis in se exprimentibus et alterius eiusdem domini nostri regis prorogatorium ad relacionem reverendissimi in Xto patris domini Johannis archiepiscopi ecclesie Strigoniensis vicariique generalis dicti nostri regis patenter emanate hunc tenorem continentis: Sigismundus... *Sequitur eiusdem prorogatoria, sicut superius sub nro 19* (?), una cum magistro Sigismundo de Mezewsoplyo cuius ipsius domini nostri regis notario et ho-

mine per ipsum ad id specialiter transmisso in ipsius litteris adiudicatoriis nominatim inserto unum ex nobis, videlicet fratrem Andream presbiterum pro parte Georgii de Salank in causam attracti ad videndum et perficiendum ea (sic!), que iuxta iudiciariam commissionem et praetactarum literarum domini nostri regis adiudicatoriarum series et continencias fieri et perfici debaent, nostro pro testimonio destinassemus, demum iidem exinde ad nos reversi nobis consona voce retulerunt, quod annotatus Georgius de Salank in praedicto VIII° die festi beati Andree ap. proxime praeterito ad faciem praescripte possessionis Salank nuncupate et per consequens terre et silve litigiose ad VI aratra regalis mensure estimate, vicinis et commetaneis eiusdem universis ac praefato Georgio de Salank... actore, antelato vero domino Theodoro, duce Podolie, nostrum testimonium pro sui parte iuxta continenciam ipsarum literarum domini nostri regis adiudicatoriarum non adducente illicque non veniente, nec mittente, dictisque vicinis et commetaneis per ipsum Georgium illuc convocatis praesentibus accedendo ibique prius metas et signa metalia antedicte possessionis Salank in dictis literis ipsius domini regis adiudicatoriis denotatas et expressa in reambulacione per ipsum ostensas et demonstrata a parte possessionis Beregh nominate memorati domini Theodori ducis taliter et hoc ordine undique reambulassent, quod primo incepissent in fluvio Atak nominato iuxta duas metas terreas et iuxta cursum ipsius aque gradiendo usque ad meatum seu fossatum aque Hideger et ipso meatu seu fossato aque transeundo quendam fluvium Rednek vocatum pervenissent, ulterius in eodem meatu aque ad partem aquilonalem tendendo, ubi videlicet ipse fluvius duplicaretur, et in parte ad dextram habita processissent et iuxta meatum ipsius aque procedendo attigissent ad locum, ubi fluvius exiret de quodam alio fluvio Borswa vocato et ab eodem loco sursum contra meatum ipsius aque tendendo et quasi ad medium milliare procedendo pervenissent ad unam magnam clausuram, ubi praefatus fluvius Borswa duplicaretur, ubi eciam iuxta ipsam clausuram quidem fluvius Gerzenchezad nominatus ad partem aquilonalem ab ipso fluvio Borswa flueret et ab eodem loco plus quam medium milliare gradiendo pervenissent ad praedictum meatum seu fossatum aque Hideger appellatum et ibi praetaxatus Georgius de Salank a parte praenominate possessionis Beregh nuncupati antelati domini Theodori ducis terminando, super uno ipsorum signorum metalium, ubi scilicet praefatus fluvius Gerzenchezad nominatus exiret, de praedicto fluvio Borswa, et iuxta ipsum fluvium Gerzenchezad idem Georgius de Salank centesimo et quinquagesimo tercio sc. nobilibus, videlicet Benedicto, filio David de Ardo, Michaele, filio Andree et Leustachio, filio Lorandi, de Laaph vicinis et commetaneis in communi inquisicione pro parte sui attestatis, item Johanne de Borswa, Stephano de Werbewch, Ladislao, filio Johannis de Magfalwa, altero Ladislao de Ardo, similiter commetaneis, item Michaele de Kysdoba, Benedicto, Clemente, Johanne,

Nicolao, altero Johanne, Georgio, nec non altero Michaele, similiter altero Nicolao, Barla, Demetrio et altero Georgio de eadem Kysdoba, Clemente, Bartholomeo, Stephano et Paulo de Nagdoba, Andrea et Georgio de Haratyan, Sebastiano de Mihalfalva, Georgio de Sandorhaza, Michaele, Stephano, Gallo, Demetrio et Petro de eadem, item Bartholomeo de Bachka, Johanne de Lele, Georgio, Sebastiano et Michaele de eadem, item Anthonio de Kerezthur, Sebastiano, Michael et Gregorio de eadem, Dominico et Paulo de Zylaghzegh, Michaele de Baldon, item Nicolao et Gregorio, filio Marci, de Sampson, Ladislao et Anthonio de Baxa, item altero Ladislao da Akly, Nicolao de Horwathy, Stephano et Michaele, filiis Borian, de Palfalva, Thoma de Gethus, Sigismundo de Kethel, Ladislao et Blasio de eadem, Alberto et Johanne de Mon, Emerico et Thoma de Samyl, item Anthonio, Stephano, Petro et Simone de Verwlgye, Blasio et Emerico de Mesnyew, Johanne de Bewnye, Michaele et Gregorio de eadem, Blasio de Fermenyews, item Jacobo, Andrea et Petro de Andrasfalva, Jacobo de Gywge, Johanne de Wgra, Nicolao de Almas, Guliberto de Mayad, Ladislao de Balashaza, Jacobo de Patrah, Georgio de Ilswa, altero Georgio de Beges, Johanne de Adoryan, Elya, Mathia et altero Mathia de Tywadarfalva, Ladislao et Nicolao de Bere, Francisco et Thoma de Tywkod, altero Thoma, filio Nicolai, Michaele et Benedicto de eadem, item Briccio Zenthpaal, Johanne de Zenthmyklos, Paulo de Chaan, Jacobo de Mohols, item Georgio de Sarmasagh, Anthonio de Kyde, Johanne de Menzenth, Thoma de Gachal, Petro de Kerechen, Ladislao, filio Thome de Egry, Blasio et Petro de Daboch, altero Petro de Cherepes, Luca de Iph, item Stephano de Gewdynhaza, Andrea de Jarmi, Georgio et Philippo de Borswa, Johanne de Pethenfalva, altero Johanne, Benedicto, Sebastiano, Georgio et Petro dicto Farkas, de eadem, item Jacobo de Kemeche, Anthonio et Benedicto de Farkasfalva, Emerico de Forgolanfalva, Stephano de Bezd, Georgio de Solmus, Emerico de Lewe, Mathia de Geche, Georgio de Ewrmenes, altero Georgio de Pyskarkas, Petro, filio Petri de Bagus, Fabiano et Blasio de Thamasfalva, Johanne de Zentkyral, Michaele et Clemente de Zyorna, altero Michaele de Kwlche, Stephano de Rohod, Sebastiano de Moglod, Petro de Kemeer, Georgio, dicto Suthak, de Vylak, Martino de Bewken, Alexio de Chomakaz, et Ladislao dicto Laanch, de Karol, discalceatis pedibus resolutisque cingulis comparendo et terram super caput suum ponendo et generaliter recitante praefato nostro testimonio, pro parte scilicet ipsius Georgii in causam attracti deputato, dicendo, prout moris est, iuxta regni consuetudinem iurare super terram super eo, quod praescripte mete et signa metalia per ipsum in causam attractum modo praemisso reambulate et demonstrata semper et ab antiquo dicte possessionis sue Salank extitissent ipsaque silva et terra litigiose, ut praemittitur, ad VI aratra estimate ad eandem possessionem Salank pertinuissent et nunc pertinere deberent sacramentum praestitisset, praestitoque per ipsum Georgium in causam attractum et suos co-

niuratores modo praemisso ipso sacramento, in praemissis locis dictorum signorum metalium per ipsum in causam attractum ostensorum ex eo nullas evidentes et apparentes metas aggregari fecissent, quia idem in causam attractus cursum ipsarum metarum in praescriptis fluviis habere debuisset ipsosque fluvios seu meatus aquarum pro distinctionibus metarum fore putasset, ipsas silvam et terram litigiosam sub earundem metarum cursibus ad ipsam possessionem Salank applicando et annectendo eidem Georgio in causam attracto et suis heredibus universis praefati domini nostri regis et nostri homines statuissent et commisissent iure perpetuo possidendas. In quorum praemissorum memoriam stabilitatemque perhempnalem praesentes literas nostras privilegiales alphabetoque intercisas sigilli nostri appensionis munimine roboratas duximus concedendas. Datum quinto die octavi diei festi beati Andree apostoli supradicti anno domini MCCCCXIV° supradicto.

21.

Strigonii, 2 Oct. 1415.

Sigismundus dei gracia rex Hungariae etc. fidelibus suis illustri principi Theodoro duci Podoliae et comiti comitatus de Beregh avunculo suo charissimo vel ipsius vicecomiti et iudicibus dicti comitatus investigare mandat causam inter Jacobum Kotnar, civem Cassoviensem ab una parte vero ab altera Balthasarum de Athya fratremque suum vertentem. Datum Strigonii feria IV. proxima post festum beati Michaelis archangeli anno domini MCCCCXV°.

Sequitur lit. relatoria conventus de Lelesz:

Conventus relationem facit Sigismundo regi, hominem suum exmisisse pro testimonio ad deliberationem causae eisdem Beregszaszinum, ubi Stephanus filius Konye de Belche vicecomes dicti domini Theodori, ducis Podoliae, ac quattuor iudices in dicta causa iudicium protulerunt.

Originale pap. in eodem TABULARIO CONV. DE LELESZ, *Act.* 1415. nro 70.

22.

Strigonii, 15 Dec. 1415.

Sigismundus rex Hungariae committit conventui de Lelesz, ut querelam Georgii et Jacobi filiorum Galli de Zeech in eo factam, quod Helele familiaris Theodori, ducis Podoliae, possessionem ipsorum Chetfalu in comitatu Beregh depredasset, inquirat.

TABULARIUM CONV. LELESZ, *Act. 1415, nro 73* (orig.); *Proth. I, BB.*, p. 24 (cop.).

Sigismundus dei gracia etc. ac Hungarie etc. rex fidelibus suis conventui ecclesie de Lelez salutem et graciam. Dicitur nobis in personis Georgii et Jacobi, filiorum Galli, de Zeech, quomodo /Helele

familiaris/ Theodori, ducis Podolie, temporibus iam praeteritis possessionem ipsorum Chetfalu nuncupatam in comitatu /Beregh/ existentem omni sine lege fuisset depraedatus ac universas res et bona ipsius possessionis non modici valoris abstulisset et spoliasset potencia mediante in ipsorum dampnum et praeiudicium valde magnum. Super quo fidelitati vestre firmiter praecipiendo mandamus, quatenus vestrum mittatis hominem pro testimonio fidedignum, quo praesente Mathias de Kyrseni vel Thomas aut Georgius de eadem seu Paulus de Homoch, seu Nicolaus de Began, sive Emericus de Orozy, sive Philippus de eadem /an Michael seu Ladislaus de eadem/, sive Nicolaus de Kerepel aliis absentibus homo noster scita prius praemissorum mera veritate evocet praefatum Helele contra annotatos Georgium et Jacobum de Zeech nostram in praesenciam ad terminum competentem racionem praemissorum redditurum, litis pendencia, si qua foret inter ipsos, non obstante. Et post hec ipsarum inquisicionis et evocacionis seriem cum nomine evocati terminoque assignato nobis fideliter rescribatis. Praesentes autem sigillo nostro maiori, quo ut rex Hungarie utimur, faciemus consignari. Datum Strigonii die dominico proximo ante festum beati Thome apostoli anno domini MCCCCXV°, regnorum nostrorum anno Hungarie etc.

C.

Ad tertiam classem referendas putavi eas 7 litteras, post obitum ducis Theodori /m. Decembri 1415/ datas /1416-1418/, in quibus viduae eiusdem, ducissae Walhae, filiarum Annuska et Maria eiusque officialium et familiarium commemoratio fit.

Ducissa-vidua commemoratur adhuc in litteris, datis 8 Novembris an. 1418. Mentio illa posterior non iam invenitur. Cum tamen inveniuntur aliae litterae posteriores de duce Theodoro, eiusdem marito, tractantes, non est dubitandum eam sub finem anni 1418 vita functam fuisse.

Alterae filiae ipsius /Mariae/ nullum vestigium, nulla invenitur mentio. An nupta alieni, sicuti soror, an vita functa et quando — nemo responsum dare potest, sicut etiam de sepulchro ducissae eiusque filiae nulla unquam fit mentio.

1.

Budae, 9 Nov., 1416.

Sigismundus rex Hungariae mandat conventui de Lelesz, ut de querela viduae quondam ducis Theodori et puellarum Annuska et Maria vocatarum contra Stanislaum de Dolha prolata inquirat.

TABULARIUM CONV. LELESZ, *Act. 1416, nro 11;* copia: *Proth. II, BB.*, pag. 15.

Sigismundus Dei gracia Rom. rex etc., ac Hungarie etc. rex

fidelibus suis conventui ecclesie de Lelesz salutem et graciam. Dicitur nobis in personis magnifice domine relicte condam Theodori ducis ac nobilium puellarum Annuska et Maria vocatarum filiarum suarum, quod Stanislaus de Dolha in anno, cuius secunda instaret revoluctio, contra voluntatem et absque consensu ipsarum collectam et proventus ipsis in Marmorusio provenire debentes pro se recipiendo eisdem D. florenorum auri dampna intulliset potencia mediante, in praeiudicium ipsarum valde magnum. Super quo fidelitati vestre firmiter praecipiendo mandamus, quatenus vestrum mittatis hominem pro testimonio fidedignum, quo praesente Nicolaus vel Valentinus de Began, sive Georgius vel Martinus de Kerepech, sive Joannes de Harabor vel Georgius de Homok, sive Michael de Geche aliis absentibus homo noster scita praemissorum mera veritate, evocet praefatum Stanislaum contra antedictas dominas nostram in praesentiam ad terminum competentem, racionem de praemissis redditurus, litis pendencia etc. Et post hec etc. Datum Bude feria II proxima ante festum beati Martini confessoris anno domini MCCCCXVI°.

A tergo: Fidelibus suis conventui ecclesie de Lelesz pro magnifica domina relicta Theodori ducis et aliis intrascriptis inquisitoria et evocatoria.

Subtus connotatio hominis conventualis: Noster frater Valentinus, suo modo in Beregh, feria III, post Thome in Keyos.
Ad epiphaniarum domini.

2.

Budae, 3 Febr. 1417.

Ab eodem Rege eidem conventui committitur, ut inquirat de querela viduae Walhae, et Annus filiae olim Theodori ducis Podoliae, contra Stanislaum et Georgium de Dolha familiaresque eorum, eidem Regi porrecta.

TABULARIUM CONV. LELESZ, *Act.1417, nro 78* (orig. papyr.); *Proth. II*, BB., p. 265-267 (cop.).

Sigismundus Dei gracia etc. ac Hungarie etc. rex fid. suis conventui ecclesie de Lelesz salutem et graciam. Dicitur nobis in personis magnifice domine Walha relicte ac puelle Annus vocatarum, filie condam Theodori, ducis Opidie (sic!), quod Stanislaus et Georgius de Dolha una cum Demetrio et Stephano Kener, familiaribus eorum, dum districtus Maramorosiensis erga ipsum ducem extitisset, a iobagionibus in dicta Maromaros et eis pertinenciis commorantibus M. florenos auri et DC pelles mardarinas, DC florenos novos valentes, recepissent et que eorum placuisset voluntati fecissent. Insuper praefati Stanislaus et Georgius una cum praedictis Stephano et Demetrio circa festum omnium sanctorum proxime praeteritum Petrum nece miserabili ac alios quam plures familia-

res earundem domine et puelle in possessione Makarya repertos prorsus innocentes diris ac acris verberum et vulnerum plagis sauciari fecissent potentia mediante in praeiudicium earundem et damnum valde magnum. Super quo fidelitati vestre firmiter praecipiendo mandamus, quatenus vestrum mittatis hominem pro testimonio fidedignum, quo praesente Johannes filius Michaelis de Davidhaza, vel Georgius de Kerepech aut Valentinus de Began sive Johannes de Harabor aliis absentibus homo noster, scita praemissorum mera veritate, evocet praefatos Stanislaum et Georgium contra easdem dominam et puellam palatinalem in praesentiam ad terminum competentem, racionem de praemissis reddituros, litis pendentia etc. Et post hec ipsarum inquisicionis et evocacionis seriem cum nominibus evocatorum terminoque assignato eidem palatino more solito rescribatis. Datum Bude, II die festi purificationis virginis gloriose anno domini MCCCCXVII°.

A tergo: Fidelibus suis conventui ecclesie de Lelesz pro magnifica domina Walha vocata, relicta Theodori ducis Opulie (!) et puella filia sua intrascripta inquisitorie et evocatorie.

3.

Adnotatio litterae relatoriae conv. de Lelesz nec non ipse conceptus ipsius litterae relatoriae mutilus.

IBIDEM, transversa inscriptio litterae praecedentis.

1. *Adnotatio*: Noster frater Johannes, suo modo in Beregh feria VI^a^ ante Valentini, in Makarya, ad octavas cinerum. Datum VI° die...

2. *Conceptus litterae*: Quod praemissa, dempto dumtaxat et excepto certo numero et valore rerum ablatarum, suo modo facta fuissent et perpetrata, prout tenor litterarum dicti domini nostri regis contineret praescriptarum habitaque inquisitione feria VI^a^ proxima ante festum beati Valentini martiris proxime praeteritum praenominatos Stanislaum et Georgium de Dolha in praedicta possessione Makarya vocata, porcionibus videlicet eorum contra anteactas dominam relictam et puellam filiam Theodori ducis ad octavas diei cinerum nunc venturas vestre magnitudinis in praesentiam evocassent racionem de praemissis reddituros, litis pendentia etc. Datum V° die diei evocationis antedicte anno domini supradicto.

4.

Nagyidae, 24. Apr. 1417.

Petrus de Peren, iudex curiae regiae, requirit conventum de Lelesz pro inquisitione facienda ad querelam Stanislai de Dolha et filiorum eius contra familiares nominatim insertos viduae Theodori, ducis de Munkach, et contra Ugron de Komlos et filios suos.

TABULARIUM CONV. LELESZ, *Act. 1417, nro 76* (orig. papyr. cum sig., in cera); *Proth. II, BB.*, p. 262-263 (cop.).

Amicis suis reverendis ecclesie de Lelesz comes Petrus de Peren, iudex curie domini Sigismundi Dei gracia etc. ac Hungarie etc. regis amiciciam paratam cum honore. Dicitur nobis in personis Stanislai de Dolha ac Ladislai et Michaelis, filiorum eiusdem, quod in anno, cuius iam revolucio preterisset /annualis/ magnifica domina relicta condam Theodori, ducis de Munkach, missis quibusdam familiaribus suis, utputa Emerico Guba de eadem Munkach, Endrey, Heleley, et Stanislao castellano cum suis /ipsorum/ complicibus manibus armatis et potenciariis super possessione sua Romanpathaka vocata transmittendo /veniendo/ eandem desolassent /depopulari et desolari faciendo/ ac populos ac iobagiones in eadem Romanpathaka commorantes aufugari faciendo. Item Ugron de Komloz, Nicolaus, Johannes, Mathias et Sandrinus, filii eiusdem, cum suis complicibus manibus armatis et potenciariis super possessione ipsorum Negforas vocata veniendo eandem penitus similiter desolassent ac eciam universos populos et iobagiones inibi existentes repulissent et aufugassent potencia mediante in praeiudicium eorundem valde magnum. Super quo vestram amiciciam praesentibus petimus diligenter, quatenus vestrum mittatis hominem pro testimonio fidedignum, quo praesente Georgius, seu Simon, seu Thomas, filius eiusdem, de Borsowa, sive Philippus de eadem, sive Jacobus de Gesche aliis absentibus homo regius ab omnibus, quibus incumbit, meram de praemissis veritatem experiatur, quam tandem domino nostro regi fideliter rescribatis. Datum in Nagyda in festo beati Georgii martiris A. D. MCCCCXVII°.

A tergo: Amicis suis reverendis conventui ecclesie de Lelez pro Stanislao et aliis intrascriptis inquisitorie.

A tergo transverse inscripta adnotatio: Noster frater Johannes, suo modo, in Beregh. Datum feria IV^a^ post Stanislai martiris.

5.

Constantiae, 25 Apr. 1418.

Sigismundus Rex Hungariae viduae, superstitibus et officialibus ac familiaribus Theodori, quondam ducis Podoliae, notificat se possessiones regales Ignech cum tributo, Chamonya et Ordow ad castrum suum Munkach pertinentes ab eodem castro perpetue separando Mathyus, Emerico et Georgio de Paloch contulisse.

ARCHIV. COM. VALENTINI BETHLEN IN ARANYOS-GYERES (orig. papyr. cum sigil.).

Sigismundus Dei gracia etc. ac Hungariae etc. rex fidelibus nostris magnifice domine relicte, necnon superstitibus ac officialibus et familiaribus quondam illustris Theodorici, ducis Podolie, salutem et graciam. Quia nos pro fidelitatibus diuturnorumque lau-

dabilium serviciorum gratuitis meritis fidelium nostrorum dilectorum egregiorum Mathyus de Paloch, castri Dyosgewr inter ceteros honores ipsius castellani, et Emerici, fratris eiusdem, specialium aulicorum nostre maiestatis magistrorum eidem, necnon venerabili domino Georgio praepositio ecclesie Scepusiensis fratri ipsorum carnali, nobis sincere dilecto, quasdam possessiones nostras regales Ignech cum tributo in eadem exigi consueto, necnon Chamonya et Ordow appellatas actenus (!) ad castrum nostrum Munkach appellatum pertinentes, easdem ab ipso castro nostro in perpetuum separando et sequestrando, vigore aliarum literarum nostrarum superinde confectarum perpetuo et irrevocabiliter dedimus, donavimus et contulimus. Igitur fidelitati vestre et cuiuslibet vestrum ex certa nostra scientia firmissime praecipiendo mandamus, quatenus mox habita praesentium noticia nulloque ulteriori nostro mandato superinde praestolato, ceteris eciam occasionibus et allegacionibus quibuslibet semotis, praedictas possessiones et tributum simul cum omnibus suis utilitatibus et pertinenciis ac proventibus et redditibus antedictis Mathyus et Emerico, nec non domino praeposito dimittere et relinquere manusque vestros et vestrorum quorumlibet de eisdem excipere debeatis. Alioquin commisimus et eciam praesentium vigore committimus praetactis Mathyus et Emerico, nec non domino praeposito, ut ipsi easdem a vobis contradictione qualibet non obstante pro se ipsis occupandi ac tenendi et perpetue possidendi plenam et omnimodam habeant potestatis facultatem per nos eis in hac parte attributam. Secus igitur facere non ausuri, prouti nostri gracia favorosius cupimus gratulari. Praesentes eciam perlectas reddi iubemus praesentati. Datum Constantie in festo beati Marci evangeliste anno dom MCCCCXVIII° regnorum nostrorum anno Hungarie etc. XXXII, Rom. vero VIII.

6.

Sine loco, 26 Maii 1418.

Conventus de Lelesz notum facit viduam quondam Theodori ducis et Martinum de Posahaza coram se personaliter constitutos compromissum inter se fecisse.

TABULARIUM CONV. LELESZ, *Proth. parvum*, p. 2 (lineis transversis deletum).

Quod magnifica domina relicta quondam domini Theodori ducis ab una, parte vero ab alia Martino de Posahaza personaliter coram nobis constitutis, per eundem confessum extitit, quod ipse praefatam dominam et ad eandem pertinentes super omnibus factis potenciariis, dampnis nocumentis etc. reddidit expeditos, econverso ipsa domina in expedicionem praemissorum praefato Martino XLVI florenos novos in duobus terminis infrascriptis, medietatem videlicet eorum VIII° die festi beati Jacobi apostoli ac tandem VIII° die festi beati Michaelis archangeli pure et simplici-

ter in oppido Zaar semper coram iudicibus nobilium comitatus de Beregh, si non ex tunc de duplo, et insuper verificatis litteris suis praemissam causam de novo exequendi etc., universasque litteras praefati Martini per familiares suos ablatas in specie reddendas assumpsisset, termino solucionis pro Stanislao de Dolha cum nostris litteris procuratoriis solum super verberacione ipsius scilicet Martini et receptione pecuniarum et litterarum. Datum in festo corporis Christi XVIII°.

7.

Budae, 8 Nov. 1418.

Sigismundus rex Hungariae iniungit conventui de Lelesz investigationem de querela Jacobi et Georgii de Zeech contra Helele, officialem ducissae de Munkach, coram illo facta.

TABULARIUM CONV. LELESZ, *Act. 1418, nro 63* (orig. papyr. sig. claus); *Proth. II, BB.*, p. 455-6 (cop.).

Sigismundus etc. ac Hungarie etc. rex fidelibus suis conventui ecclesie de Lelez salutem et graciam. Dicitur nobis in personis Jacobi, filii Galli, de Zeech, ac Georgii, filii Jacobi, de eadem, quod Helele officialis ducissae de Munkach temporibus proxime praeteritis ad possessionem eorundem Chedfalva vocatam veniendo, quendam iobagionem ipsorum in dicta Chedfalva residentem, non recepta licentia, nec iusto terragio deposito ac aliis debitis minime persolutis, una cum universis rebus et bonis eiusdem ad possessionem Vary, officiolatum suum, transduxisset moraturum potencia mediante, in praeiudicium ipsorum valde magnum, lite tamen inter ipsos pendente. Super quo fidelitati vestre firmiter praecipiendo mandamus, quatenus vestrum mittatis hominem pro testimonio fidedignum, quo praesente Emericus de Oroz vel Philippus, filius eiusdem, aut Michael de eadem, seu Martinus de Kekey aliis absentibus homo noster scita praemissorum mera veritate, evocet praefatum Helele contra ipsum Jacobum nostram in praesenciam ad terminum competentem, racionem de praemissis redditurum, praetaxata lite inter ipsos non obstante. Et post hec ipsarum inquisicionis et evocacionis seriem cum nomine evocati terminoque assignato nobis fideliter rescribatis. Datum Bude fer. III, prox. p. f. b. Emerici ducis, a. d. MCCCCXVIII°.

In dorso inscripta est relatio. In hac relatione continetur, quod Michael de Orozy regius ac Valentinus praesbyter conventualis, homines exmissi, praefatum Helele in portione sua impignoratitia in possessione Ujlak habita repertum citaverunt. *Intitulatio relationis sonat*: Pro Jacobo, filio Galli, de Zeech, ac Georgio, filio Jacobi, de eadem, contra Helele officialem ducisse de Munkach super factis intrascriptis inquisitorie.

D.

Classi quartae adnumerandas censui paucas litteras, quae post mortem ducissae, viduae Theodori ducis, de eiusdem officialibus sonant. Iisdem adiunctae sunt litterae, quae de duce Theodoro mentionem faciunt post annum 1418, quo anno, ut videtur, ducissa vita functa est. Verum quidem est, mentionem hanc paucis tantummodo verbis fieri, et inde parvi esse momenti; sed quia omnia de duce Theodoro colligi statui, nec illas praetermitti potui, etiamsi iam longe post mortem ducis scriptae fuerunt.

1.

Budae, 21 Nov. 1417.

Sigismundus rex Hungariae conventui de Lelesz querelam filiorum Georgii et Stephani Jakch de Kusal contra Helele, officialem Andreae dicti Paan, in Vary constitutum, et socios inquirere iniungit.

TABULARIUM CONV. LELESZ, *Act. 1417, nro 36* (orig. papyr. sig. claus); *Proth. II, BB.*, p. 186-7 (cop.).

Sigismundus... Hungarie etc. rex... conventui ecclesie de Lelez... Dicitur nobis in personis magistrorum Johannis, Ladislai et Michaelis, filiorum Georgii, ac ulterius Michaelis, filii Ladislai, filii Stephani Jakch de Kusal, quomodo Helele, officialis Andree dicti Paan in Vary constitutus, ac Michael de Geche, Nicolaus de Began et Damianus de eadem Vary commorantes, ex mandato ipsius Andree dicti Paan temporibus iam elapsis 55 porcos Johannis Ruffi, Georgii Fabry, Michaelis dicti de Orozy, Ladislai Fargo, Thome et Pauli Baktha, iobagionum ipsorum magistrorum Johannis, Ladislai utriusque Michaelis, in possessione Orozy commorantium, in facie eiusdem possessionis repertos auferendo abduxissent et in usus eorum convertissent potentia mediante, in ipsorum praeiudicium valde magnum. Super quo fidelitati vestre firmiter praecipiendo mandamus, quatenus vetrum mittatis hominem pro testimonio fidedignum, quo praesente Philippus aut Georgius de Borzwa, vel Danch de Hete, sive Jacobus aut Georgius de Chernavoda, sive Paulus aut Ladislaus de dicta Borzva aliis absentibus, homo noster ab omnibus, quibus incumbit, meram de praemissis experiatur veritatem, quam tandem nobis fideliter rescribatis. Datum Bude die dominico prox. p. fest. b. Elisabeth vidue a. d. MCCCC decimo septimo.

In dorso solita intit. cum parva adnotatione de relatoria.

2.

Szikszo, 5 Mai 1418.

Comes Petrus de Pereny, iudex curiae regiae, requirit conventum de Lelesz, ut querelam Stanislai, Johannis, Georgii et Bogdan

de Dolha contra Helele, Emericum Guba dictum, Stanislaum castellanum de Munkach et Demetrium Racz officialem de Bartfalva interpositam, inquirat.

TABULARIUM CONV. LELESZ, *Act. 1418, nro 40* (orig. papyr. sigil.); *Proth. II, BB.*, p. 416-7 (cop.).

Amicis suis rev.dis conventui eccl. de Lelez comes Petrus de Pereny iudex curie d. Sigismun. d. gr.... Hung. etc, regis amiciciam paratam cum honore. Dicitur nobis in personis Stanislai, Johannis, Georgii et Bogdan de Dolha, quomodo Helele, Emericus Guba dictus ac Stanislaus castellanus de Munkach et Demetrius Racz, officialis de Barthfalva, in anno proxime transacto 66 porcos ipsorum de facie possessionis ipsorum Makaria vocata abduxissent et abduci fecissent, et quod praefatus Helele, Stephanus de Homok et Georgius, filius eiusdem, similiter in anno proxime transacto 25 porcos ipsorum bonos in lagneis una cum Simone de Ujfalu ac aliis populis et iobagionibus in eadem Ujfalu residentibus interemissent et interimi fecissent potentia ipsorum mediante, in praeiudicium eorundem nobilium de Dolha et dampnum valde magnum. Super quo vestram amiciciam attente requirimus, quatenus vestrum mittatis hominem pro testimonio fidedignum, quo praesente Gallus de Guth, vel Antonius de eadem, aut Jacobus de Gechey, seu Johannes de Davidhaza aliis absentibus homo regius ab omnibus, quibus incumbit, meram de praemissis experiatur veritatem, quam tandem d.no nostro regi fideliter rescribatis. Datum in Zykzo in festo ascensionis domini a. eiusdem MCCCC decimo octavo.

A tergo: Amicis suis rev.dis conventui eccl. de Lelesz pro Stanislao de Dolha et aliis intrascriptis inquisitorie.

In obvers. nota relatoriae: Homo Gallus de Guth, noster frater Valentinus, suo modo, in Beregh. Datum feria III. p. f. pentecostes (*17 Maii*).

3.

Posonii, 10 Febr. 1419.

Sigismundus rex Bogdanum, filium Johannis Valachi de Dolha, a sententia iudiciaria, contra ipsum ratione multifariorum actorum potentiariorum ferenda, manutendum ac liberum esse enuntiat.

TABULARIUM CONV. LELESZ, *Act. 1419, nro 36* (orig. papyr.).

Nos Sigismundus Dei gr... Hung., Dalm., Croat., etc. rex memorie commendamus per praesentes, quod fidelis noster dilectus Georgius, filius Johannis Valachi de Dolha, aule nostre familiaris in persona Bogdan, filii dicti Johannis Valachi de eadem Dolha fratris sui carnalis, nostre exposuit maiestati seriose, quomodo non-

nulli forent regnicoli nostri, praesertim vero Petrus et Nicolaus, filii Sandrini, similiter Volahi, qui racione et praetextu factorum potenciariorum, puta incendiorum, spoliorum, dampnorum, hominum interemptionum, iniuriarum et aliorum quorumlibet malorum et nocumentorum generum quibuspiam infidelibus et emulis nostris, qui tempore disturbiorum regni nostri, domino disponente dudum sedatorum, contra nostre maiestatis culmen insurexissent, per eundem Bogdan nomine et in persona ac verbo et voce quondam illustris principis Theodori ducis Podolie, arcis nostre... et sincere dilecti in signum inviolabilis fidelitatis, quam ipse pro tunc celsitudini nostre et sacre corone nostre regie constanter observasset et de praesenti observaret, illatorum et irrogatorum in praesentia iudicum et iustitiariorum regni nostri contra ipsum Bogdan pro ipsorum parte per terminorum complectiones litteras sententionales et alia gravamina emanari et fulminari procurassent, quarum vigoribus nunc ipsum Bogdan iidem Petrus et Johannes in persona, possessionibus ac rebus et bonis, ut plurimum, impedisse et damnificare niterentur ad suum praeiudicium et dampnum valde magnum. Supplicatum itaque extitit per eundem Georgium Volahum culmini nostre maiestatis humiliter et devote, ut ipsis circa praemissa de regali remedio providere dignaremur opportuno. Et quia nos auditis favorabiliter supplicationibus antefati Georgii Volahi ipsum Bogdan, sicuti et caeteros nostros fideles per huiusmodi terminorum complectiones minime impediri volentes, pro ipsius Georgii et dicti Bogdan praemissis fidelibus servitiis per eos maiestati nostre exhibitis et impensis et in futurum exhibendis praemissas sententias, terminorum complectiones et alia gravamina exinde secuta contra annotatum Bogdan per antefatos Petrum et Nicolaum modo praemisso ratione dictorum factorum potentiariorum fulminatas et aggregata, quoad omnes ipsarum continentias et articulos revocamus, cassamus et annullamus nulliusque vigoris esse pronunciamus, harum nostrarum vigore et testimonio litterarum mediante. Quocirca vobis, fidelibus nostris magnificis palatino et iudici curie nostre vestraque vices in iudicatui gerentibus, cunctis etiam aliis regni nostri iudicibus et iusticiariis, ecclesiasticis videlicet et saecularibus, nec non universis et singulis birsagiorum exactoribus tam nostris, quam aliorum quorumvis praesentibus et futuris praesentes visuris firmissime praecipimus et mandamus, quatenus ratione prima praefatum Bogdan ad praefatorum Petri et Nicolai, filiorum Sandrini, et aliorum quorumlibet instanciam intra et extra iudicium in persona, possessionibus ac rebus et bonis suis universis impedire, molestare seu quomodolibet aggravare et returbare nullatenus praesumatis nec sitis ausi modo aliquali gratie nostre sub obtentu. Praesentes etiam post earum lecturam reddi iubemus praesentanti. Datum Posonii in f. b. Scolastice virg. et mart. a. d. MCCCCXIX°.

4.

Budae, 20 Dec. 1419.

Sigismundus rex Hungariae mandat Mathyus et Emerico de Paloch, castellanis castri regii Munkach, ut keneziatum in possessionibus Kuznicza et Kerecke per quondam principem Theodorum, ducem Podoliae, gubernatorem castri eiusdem Munkach a Nicolao Valacho, filio Stanislai de Dolha, ablata eidem restituant.

TABULARIUM CONV. LELESZ, *Act. 1419, nro 3* (orig. papyr.).

Sigismundus Dei gratia... Hung. Dalm., Croat., etc. rex fidelibus nostris egregiis viris Mathyus et Emerico de Paloch inter cetera castellanis castri nostri Munkach vocati salutem et gratiam. Nostre maiestatis in praesentiam veniens Nicolaus Valachus, filius Sandrini, de Dolha, nobis studuit declarare gravi cum querela, quomodo temporibus diu praeteritis, quomodo illustris princeps Theodorus, dux Podolie, gubernator ipsius castri nostri Munkach, kenieziatum in possessionibus Kuchnycha et Kerechke vocatis in eiusdem castri nostri Munkach pertinentiis existentibus habitum sibi iuridice pertinentem ab ipso indebite et sine lege recepisset et abstulisset in ipsius praeiudicium et iuris derogamen valde magnum. Cum tamen ipse super dicto keneziatu, ut idem sibi pertineret, litteras haberet efficaces, nos vero neminem regnicolarum nostrorum suis iustis iuribus indebite destitui, quin potius quemque suo ipso iure potiri velimus et gaudere, vestre igitur fidelitati firmiter praecipiendo mandamus, quatenus receptis praesentibus revisisque et diligenter examinatis dictis litteris praelibati Nicolai in facto iamfati keneziatus, ut dicitur, confectis, si ex earundem tenoribus ipsum keneziatum eidem rite et legitime pertinere et per dictum Theodorum ducem, ut praemittitur, indebite ab ipso receptum agnoveritis, ex tunc eundem Nicolaum in ipso keneziatu conservare et mediante iustitia protegere debeatis ab omnibus ipsum in eodem indebite impedire volentibus maiestati nostre in persona et aliud non facturi. Praesentes autem sigillo nostro maiori, quo ut Rex Hung. utimur, fecimus consignari... Quas post earum lecturam reddite praesentanti. Datum Bude in vigilia f. b. Thome ap. a. d. 1419, regnorum nostrorum a. Hung. etc. 33. Rom. vero 10.

Relatio com. Petri de Peren iud. cur. r. maiestatis.

5.

...29. Jun. 1429.

Coram conventu de Capornak Ladislaus et Petö, filii Johannis Petö de Gerse, Stephanus filius eiusdem Ladislai, prout Georgius et Stephanus, filii Nicolai, filii Georgii Kávásy, prohibent Sigismundum regem a donatione sex possessionum co.tu Laladien-

si existentium, Emericum, Ladislaum episcopum Csanadiensem, Joannem et Stephanum, filios Nicolai Marczaly voivodae, item Georgium et Stephanum, filios Dionysii Marczaly bani, praeterea nobilem dominam filiam quondam ducis Hodo (!) *de Mukach, consortem videlicet praefati Emerici et alios quoslibet ab earum impetratione.*

Ed. in *Zalamegyei okmánytár*, II, p. 461-2.

6.

Lelesz, 8 Maii 1627.

Conventus ecclesiae s. Crucis de Lelesz ad petitionem Ladislai Kun de Rosal transcribit litteram regis Sigismundi in facto metarum inter possessiones Bereg et Salank, inter principem olim Theodorum, ducem Podoliae et Georgium quondam de Salank vertente confectam.

TABULARIUM CONV. LELESZ, *Metales co-tus Beregh*, nro 11 (orig.). - Cfr. sub. nro B. 19.

Nos Stephanus Telekessy praepositus conventus et ecclesiae s. crucis de Lelez memoriae commendamus per praesentes significantes, quibus expedit universis, quod egregii Petrus Marthon iudicialium sedis iudiciariae comitatus Zothmariensis et Michael Fekethe servitor magnifici domnii Ladislai Kun de Rosal ser.mi S. R. I. et Tranniae principis etc. domini nostri clementissimi consiliarii ac arcis et praesidii Zathmariensis supremi capitani et comitatus eiusdem Zathmariensis comitis, nostram personaliter venientes in praesentiam nomine et in persona eiusdem d. Ladislai Kun de Rozal exhibuerunt nobis et praesentaverunt quasdam litteras ser.mi olim principis et d. d. Sigismundi d. gr.... Hung. etc. regis etc. fel. mem. adiudicatorias iuramentales inter illustrissimum olim principem d. Theodorum, ducem Podoliae ab una, et Georgium quondam de Salank ab altera partibus in facto metarum inter possessiones Beregh et Salank existentium et habitarum quadragesimo die termini in eisdem denotati, in an. d. 1414, in Visegrad in pergameno confectas et emanatas, quae a tergo sigillo vener. olim d. Eberhardi alias episcopi ecclesiae Zagrab. et cancellarii regii, diruto licet iam et avulso ipso sigillo, eius tamen vestigio et circumferentia bene apparente, communitae et consignatae esse dignoscebantur, litteras nostras super ipsarum metarum reambulatione rescriptionales transsumptae in sese continentes tenoris infrascripti, petentes nos debita cum instantia, ut easdem litteras praetit. olim ser.mi principis Sigismundi regis adiucatorias litteris nostris de verbo ad verbum transcribi et transsumi faceremus in transumptoque litterarum nostrarum sub sigillo nostro conventuali et authentico eidem d. Ladislao Kun de Rosal extradere et emanari facere vellemus. Quarum litterarum tenor talis est: Sigismundus...

(*Sequitur littera Sigismundi regis de 14 Nov. 1414, cfr. sup. sub. nro B, 19*).

Unde nos petitioni praefatorum Petri Marthon judicis et Michaelis Fekethe servitoris, uti iure consonae et legitimae nobis modo praemisso factae, annuentes et acquiescentes praescriptas litteras adiudicatorias praetit. olim princ. d. Sigismundi regis non abrasas, non cancellatas, non variatas, nec in aliqua sui parte suspectas, sed omni prorsus vitio et suspitione carentes de verbo ad verbum sine diminutione variationeque et augmento aliquali, ubi et inquantum ob vetustatem legi poterant, praesentibus litteris nostris patentibus transsumi et inseri facientes in transuptoque praesentium litterarum nostrarum sub sigillo nostro conventuali et authentico praememorato domino Ladislao Kun de Rosal iurium suorum pro cautela dandas duximus et concedendas. Datum in f. b. Stanislai ep. et mart. a. d. 1627.

* * *

Haec sunt litterae, in summa (1+22+7+6) 36, quas a principe Theodoro, duce Podoliae, datas, vel de ipso, ipsiusque fratribus, vidua, filialibus, familiaribus, procuratoribus, rebusque in regno Hungariae gestis tractantes colligere potui. Non est mei has litteras seorsim speciali studio subiicere. Dicant rebus historicis studiosi quod ipsis videbitur. Mihi autem liceat hac occasione quatuor potissimum breves adnotationes adiicere.

Primum, quod adnotare volo, est, quod prima harum litterarum data fuit in festo purificationis B. V. Mariae anno 1398. Inde probabilissime sequitur, Theodorum ducem nequaquam ante decennium, sed annos aliquot solum prius in Hungariam advenisse. De eius autem vita anteriori haud aliqua documenta litteraria habentur. Inde a nobis collectus numerus litterarum (36) haud mediocris dici debet relate ad numerum litterarum reperibilium, quae de eius vita ante hunc adventum tractant. Inquantum scio, duae tantummodo inveniuntur litterae, quae tractant de Theodoro, duce, priusquam veniret in regnum Hungariae, in sic dicta « Metryka Litewska », olim Peterburgi asservata, nondum tamen publici facta iuris. Hae a nobis collectae litterae, etiamsi pauca tantum addunt ad gesta ducis in regno Hungariae, notitiis tamen brevibus hanc eius vitae periodum melius illustrant, quam illam extra regnum Hungariae transactam. Hanc vitam eius texere, quamvis utile esset, non est tamen meum propositum. Solum ea pauca momenta veniunt mihi breviter notanda, quae apta videntur aliquid lucis adferre ad melius intelligendam decernendamque quaestionem de iuridica validitate litterae a. 1360, sub eius nomine emanatae, de qua quaestione in parte secunda nostri laboris.

Secundum, quod notare utile fore duxi, est ille dolor quem quisque historiographus habere praesumitur ex eo, quod littera illa

donationalis super castro et pertimentiis Munkach, a Theodoro duce expedita, prout etiam illa statutionalis de introductione ducis in possessionem et dominium castri eiusdem, processu temporis periit. Sic enim nos latet, a quo rege Hungariae, Ludovico ne an Sigismundo, an forte a regina Elisabeth vel Maria, pro quibus meritis servitiisque et quibus cum conditionis vel sine ulla conditione castrum hoc cum pertinentiis eidem duci collatum fuerit. Hoc autem scire valde proficuum foret multumque prodesset dubio dirimendo de iuridico valore litterae donationalis anno 1360, monasterio Munkacsiensi datae.

Tertio notandum est, quod periodus illa, de qua agitur, in re diplomatica nota est, ut valde sterilis monumentis diplomaticis, etiamsi ageretur de viris magnificis et illustribus. Inter paucos, qui hac in re eminent, Theodorus dux eminentem occupat locum. Speciali in modo favorabile faustumque nobis est, quod producere possumus litteram originalem et authenticam ducis, datam civitati Cassoviensi, de qua inferius nobis loquendum fusius veniet. Inde non est nobis opus, ut ex longinquis Tabulariis cumulemus totum acervum litterarum, quae ad rem nostram nihil addere possunt, quia haec unica littera eiusque authentica scriptura sufficit, ut comparationi cum illa an. 1360 inserviat.

Ultimo et quarto notandum est, adesse summatim 36 litteras, in quibus ducis commemoratio fit, quin vel solum uno verbo commemoretur illius monasterii, ab ipso, ut dicitur, fundati, cuius littera fundationalis a longo iam tempore suspecta est.

Est nempe extra et praeter has 36 litteras, quarum prima anno 1395 edita fuit, alia littera ex anno 1360, a Theodoro Koriatovich, duce Podoliae, data, qua monasterium monachorum S. Basilii ritus graeci erectum fuit. Iuridica validitas et diplomatica genuinitas seu authenticitas huius litterae ansam praebuit sic dicto bello diplomatico, iam plus quam ante unum saeculum exorto, quod bellum cum longioribus vel brevioribus intervallis hucusque perdurat ita, ut revera tempus iam esset controversiam hanc definitive dirimere.

(continuabitur)

ANTONIUS HODINKA (1864-1946)

Nota biografica

Antonius Hodinka, « Analectorum OSBM » collaborator, nat. est die 13.1.1864 in pago Ladomyr, in districtu Zemplinensi, ut filius Romani parochi et decani ritus byzantini, qui multis aliis in locis Ucrainae Carpaticae officium parochiale exercebat. Antonius scholam elementarem in Maramaros-Szigeth frequentabat (1870-1874), dein vero in Užhorod studia media absolvit (1874-1882). His studiis absolutis studia theologica in Užhorod inchoavit, dein vero in Universitate Budapestensi (1882-1886) continuavit. Simul cum studiis theologicis lectiones etiam in facultate philosophica frequentabat, et historiographiae et scientiis slavicis sese dabat. Dein in Sokyrnyci, prope Chust, ordinationes sacerdotales exspectabat studiis philologicis operam navando. Quo tempore statui clericali renuntiavit.

Ab anno 1888 incipit eius activitas ut viri docti in rebus historicis et philologicis. Primum in Musaeo Nationali Budapestino manuscripta slavica reordinavit (1888-1889), dein publicis sumptibus Vindobonae philologiae slavicae et studiis historicis operam dabat, et, laurea in facultate philosophica obtenta, iam an. 1891 in Tabulario Curiae Caesareae laborat (1891-92). Annis vero 1892-1906 in Bibliotheca s. d. privata Francisci Josephi occupatus fuit. Hoc tempore Romae in Archivis Romanis aliquod per tempus laborabat (1895-6). Anno 1905 habilis declaratus fuit, ut doceret in Universitate Budapestina opere suo: « *Relationes historicae hungaro-slavicae* ». Dein anno 1906 cathedram magistralem obtinuit in Academia Bratislaviensi. Anno 1910 eligitur membrum - corrispondens Academiae Scientiarum Hungariae. Ab anno 1914 professoris iuris in noviter erecta Universitate Bratislaviensi munere fungitur, ab anno vero 1918 ibidem historiam Hungariae docet. Anno 1920 invitatur ad Universitatem Carolinam Pragae, cui recusavit, imo emigravit Bratislavia in Hungariam docebatque primum Budapesti, dein vero in Pecs (Fünfkirchen) historiam universalem. Ibidem iterata eligitur vice in Decanum facultatis (1918-9, 1926-7), in Rectorem etiam Magnificum (1932-3). Hoc eodem tempore devenit membrum ordinarium Academiae Scientiarum Hungariae. Anno 1934 dimittitur vivitque in Budapest, labore scientifico occupatus. Eventibus bellicis fractus laboreque defatigatus anno tandem 1946, die 15 Julii, obiit.

Activitas eius scientifica in tres praecipuas dispescitur partes: I. Relationes historicae hungarico-slavicae; II. Historia Ruthenorum subcarpaticorum, praesertim vero ecclesiastica; III. Historia civitatis Pecs (Fünfkirchen) saec. XVII-XVIII. Praeter 20 opera maiora habentur circa 80 opera minora. Notanda sunt praesertim eius: *A Munkácsi Görög-Katholikus Püspökseg Története*, Budapest 1909; *A Munkácsi Gör. Szert. Püspökseg Okmánytára*. Ungvár 1911; *Az Orosz Evkönyvek Magyar Vonatkozásai*, Budapest 1916; *Epistolarum commercium episcopi M. M. Olszawskyi cum hegumenis OSBM*, (Analecta OSBM, VI, 1-2, p. 223); etc.

Ordini Basilianorum, Provinciae praesertim S. Nicolai et Hungarica valde favebat consiliisque in rebus scientificis adstabat.

Sitque ei haec brevis nota gratitudinis signum.

A. G. W.

A. G. Welykyj OSBM

PRIMA UNIO EPARCHIÆ LEOPOLIENSIS
(an. 1607)

Nota iam omnino est omnibus Unio Eparchiae Leopoliensis Ritus Byzantini anno 1700 peracta eiusque longa ex parte Ep. Leopoliensis Josephi Szumlanskyj praeparatio (1677-1700). Nemo tamen hanc praeparationem proximam per quasi 70 annos praeparationis remotae prolongavit, unde et Unio anni 1700 secunda ordine dici posset et deberet. De « prima Unione » an. 1607 ex defectu fontium pauca tantummodo innuebantur in « Historia Ucrainae-Rusj » Michaelis Hruševskyj.[1] Historiographus vero Ecclesiae Unitae, Julianus Pelesz, in suo magno opere [2] hac de re nihil adhuc alicuius momenti habet. Sed etiam ipse Hruševskyj quatuor post lustra de defectu fontium conquerebatur.

In nostris investigationibus Archivi Vaticani plura invenimus, quae rem hucusque aliquomodo dubiam omnimo clare illustrant, nullumque iam dubium relinquunt. Antequam ad ipsa documenta accedamus, utile fore duximus quaedam explicationis causa hic praemittere.

Anno 1607 (16. II) Ep. Leopoliensis, Gedeon Balaban, qui olim sub influxu Principis Constantini Ostrožskyj ab Unione Berestensi declinavit, vita functus est. In Sede metropolitana Kioviensi ab anno iam 1600 Hypatius Potij, auctor principalis dictae Unionis, sedebat. Post mortem Gedeonis Balaban Sedem Leopoliensem Isaias Balaban, defuncti Gedeonis consanguineus, occupavit (12. II), privilegio Regio ad hanc Sedem, iam antea obtento, innixus. Sed successioni huic obstitit Confraternitas Stauropigiana Leopoliensis aliique Nobiles, qui administratione Balabaniana contenti non erant, aliumque candidatum Regi Poloniae praesentarunt, Hieremiam nempe Eustachium Tyssarovskyj. In difficillimis circumstantiis politicis, internis praesertim, positus (« rokosz Zebrzydowskiego ») Rex cives schismaticos provinciae Russiae sibi infensos facere noluit. Inde, non obstantibus sollicitationibus Nuntii Apostolici et Metropolitae Hypatii, nominationi can-

[1] Hruševskyj M., *Istorija Ukrainy-Rusi*, vol. VI, Kyjiv-Lviv, 1908.
[2] Pelesz J., *Geschichte der Union der ruthenischen Kirche mit Rom*, vol. II, Wien 1880, pp. 104-108.

didati non Uniti favebat ita, ut post frequentes instantias aliquot mensium Sedi Apostolicae nulla spes fere remansit, vel parva tantum.

M. Hruševskyj ita hac de re habet: « Tunc ex parte Regis et Archiepiscopi Leopoliensis notificatum fuit Hieremiae Tyssarovskyj nullam ei spem remanere eparchiam hanc obtinendi, nisi Unioni accederet. Hieremias Tyssarovskyj consensum suum dedit. Secundum nempe verba Nuntii de Torres[3] Tyssarovskyj sub iuramento pollicitus est, se Unioni adhaerendum fore... et ita Rex ei privilegium ad hanc Eparchiam in autunno an. 1607 dedit. Ita Ecclesiae Orthodoxae novum damnum paratum fuit. Sed contra vim Victoris oblata fuerunt arma sclavorum - deceptio. Iuramento ante nominationem de Unione praestito - Tyssarovskyj demum publice declaravit, se inconcusse fidelem fore fidei orthodoxae. Patriarchae permissu ipse consecrationem accepit a Metropolita Moldaviae, et revera, externe saltem, usque ad finem fidelis permansit Ecclesiae Orthodoxae et in hoc puncto nullam dedit obiectionibus et suspicionibus occasionem ».[4]

Ita Hruševskyj in textu. In nota vero scribit: « hucusque prout unica notitia hac de re considerari debet relatio Nuntii de Torres. Etiamsi tota haec relatio non insignitur nimia praecisione... tamen ipsum factum iuramenti Tyssarovskyj in Unionem in suspicionem trahi non potest. Clarum enim est, in illis circumstantiis, ipse sine hoc actu Eparchiam hanc nunquam obtinuisset ».[5]

Inde documenta a nobis publici facta iuris ipseque textus professionis fidei Hieremiae Tyssarovskyj, prout contemporanea, rem omnino iam certam reddunt, plura tamen alia illustrant, praesertim vero: an hac in re necessaria erant « arma servorum - deceptio ».

Ex ipsis documentis patet Regem nullomodo solutioni problematis catholicae favisse, e contra, et inde Nuntio Apostolico die adhuc 21. X. 1607 spes solummodo remanebat, tandem aliquando candidatum iam nominatum persuadere, ut nomen Unioni daret.[6] Et iam die 30. X. 1607 Rex privilegium pro H. Tyssarovskyj signavit, quanam tamen sub conditione nondum satis constat. Fortasse ipse Nuntius privilegium regium Hieremiae Tyssarovskyj consignare debuit, professione fidei catholicae praemissa, quam tamen non mandato regio, sed persuasionibus obtinere sperabat.

Scimus actum hunc revera locum habuisse Cracoviae, ubi H. Tyssarovskyj formulam Berestensem Unionis acceptavit, professionemque fidei in manus Nuntii Apostolici emisit. Unum et alterum instrumentum Tyssarovskyj tantummodo manu propria

---

[3] Agitur de Nuntio Apostolico Varsaviensi, Cosmo de Torres (1621-1622), et de eius relatione (cfr. E. Rykaczewski, *Relacye nuncyuszów Apostolskich i innych osób o Polsce ad roku 1548 do 1690*, vol. II, Berolini 1864).

[4] Hruševskyj M., *op. cit.*, VI, p. 588-589.

[5] Ibid., p. 588, nota 4.

[6] Cfr. infra p. 559.

signavit, iuramentum tamen praestare noluit, etiamsi in ipsis instrumentis subscriptis verba iuramentum exprimentia aderant. Copiam instrumentorum, actu notariali convalidatam, Nuntius die 18. XI. 1607 Romam transmisit, documentis originalibus penes se relictis. Hac etiam occasione de iuramento a Tyssarovskyj denegato retulit.[7]

Tandem privilegio obtento, Tyssarovskyj disparuit, nam, ut scimus, extra confinia Regni Poloniae profectus est, et in Moldavia consecratus fuit. Qua de re a Metropolita Hypatio edoctus, Nuntius apud Regem et Magnum Cancellarium Regni instabat, nihil tamen obtinuit, prout etiam ipse Metropolita inutiliter Tyssarovskyj in iudicium citavit ecclesiasticum.[8]

Ita unum post annum (14. XI. 1607 - 15. XI. 1608) spes unionis Eparchiae Leopoliensis omnino evanuit, non tamen, ut videtur, inutilis fuit; nam iam post 70 annos spes illa iterum reviviscit, ut tandem post alios triginta annos ad finem felicem deduceretur (1700), quando Eparchia Leopoliensis in Unitatem Ecclesiae Catholicae venit suamque gloriosam bis centenariam historiam inchoavit.

Cur tamen Unio haec an. 1607 effectum desideratum non habuit? Estne solus Hieremias Tyssarovskyj culpandus? Nobis videtur causam principalem et efficacem nimis magno influxui Confraternitatis Stauropigianae Leopoliensis tribuendam esse, quae Patriarchae Constantinopolitano, propter commoda propria, favebat et ad latus Hierarchiae pari modo et conditione in Ecclesia considerari desiderabat. Huic potenti Confraternitati efficaciter ut resisteret - non erat Hieremiae Tyssarovskyj, cui etiamsi deerat vis, non deerat tamen bona voluntas, qua, prona et spontanea, « ad unitatem Ecclesiae Catholicae et Apostolicae Romanae, divina gratia duce, reverti » desiderabat.[9]

His dictis sufficere videtur, ut initium lectioni ipsorum documentorum detur.

1.

Cracovia, 1. IV. 1607.

Nuntius Apostolicus Varsaviensis refert de morte Gedeonis Balaban, Episcopi Leopoliensis deque sua sollicitudine et opinione Regis et Metropolitae Kioviensis circa institutionem novi Episcopi.

ASV, *Fondo Borghese*, Ser. II, vol. 223-24, fol. 138rv.

Ill.mo et Rev.mo Signore et Patrone mio Colendissimo.[10]

Per la morte à giorni passati successa del Vescovo Greco di

---

[7] Cfr. infra p. 564.

[8] Cfr. HARASIEWICZ M., *Annales Ecclesiae Ruthenae*, Lviv 1862, pp. 443-5; J. PELESZ, *op. cit.*, II, p. 106-107.

[9] Cfr. infra, p. 560.

[10] Agitur, ut videtur, de Cardinali Scipione Borghese.

Leopoli, ricordai in nome di N.S.[11] al Re[12] la nominazione di un Cattolico a quella Chiesa; ma trovai, che havendo egli di subito intesa la nuova, haveva già nominato uno Scismatico, nel qual caso non sapendo io altro che fare dimostrai a S. Maestà il dispiacere, che N. Signore ne haverebbe sentito; et l'ho supplicato, che almeno procuri di fargli persuadere l'obedienza de la Chiesa Romana. Il Re mi rispose, che Leopoli è città della Russia, la qual Provincia si conserva tutta nella sua devotione; et che in tante sollevationi non gli conveniva disgustarla, sperando assai nelle forze di quella in questi tumulti, et che se egli hora havesse voluto nominar altro haverebbe sdegnati gli animi, et accresciuti le turbolenze. Che per altro può esser sicura S. Beatitudine, ch'egli sia con ogni studio sempre per procurare il servitio di Dio, et l'unione con la Chiesa Cattolica et qui finì.

L'Arcivescovo Metropolita Chioviense,[13] di cui era Suffraganeo il sopranominato Vescovo Greco di Leopoli, scrivendomi a giorni passati in risposta di mie lettere, che gli mandai insieme con uno di quei Brevi di N.S., che costi mi furono consignati, mi pregava instantemente, ch'io dovessi operare con S. Maestà che non facesse nominatione di alcuno in questo Vescovato senza saputa, et consenso di lui, accioche s'eligesse persona cattolica. Io che di già havevo inteso da S. Maestà la nominatione fatta de lo Scismatico, ne ho dato ragguaglio con altre mie lettere al sudetto Metropolita, et con efficaci parole l'ho consolato, et gli ho fatto animo assicurandolo de la pronta volonta del Re a favorire, et promuovere il negotio di questa santa unione, quando da le presenti turbolenze non fosse impedito, dandogli speranza che per l'avvenire, acquietati i tumulti, sarebbero passate le cose con più prosperi successi. Mando a V.S. Ill.ma qui aggiunta una lettera scritta da questo Prelato a N. Signore in risposta del Breve ch'io gli inviai. Ne occorrendomi che altro dire in questo particolare, bascio riverentemente le mani a V.S. Ill.ma, a la quale per fine prego da Dio N. Signore il conseguimento d'ogni certezza, et felicità.

Di Cracovia il di primo d'Aprile 1607.
Di V.S. Ill.ma et Rev.ma
Humilissimo et devotissimo servitore
F. Vescovo li Foligno /mp/[14]

---

[11] Nostro Signore, id e. Papa Paulo V, e familia Borghese (1605-1621).

[12] Sigismundus III Waza (1587-1632).

[13] Metropolita Kioviensis tunc temporis erat Hypatius Potij (1600-1613), qui simul Eparchiam obtinebat Berestensem et Volodimiriensem. Unus e duobus Legatis Metropolitae Kioviensis an. 1595 Romam, ad stabiliendam Unionem s. d. Berestensem. Revera die 23-XII-1595 Romae simul cum Cyrillo Terleckyj professionem fidei catholicae emisit.

[14] Nuntius Apostolicus apud Regem Poloniae Franciscus Simonetta (1606-1611), Episcopus Fulginatensis. Venit Varsaviam primis mensibus

2.

Varsavia, 2. VI. 1607.

Nuntius Apost. de nova possibilitate instituendi Episcopum catholicum Leopoli mediante privilegio Archiepiscopi Leopoliensis, latini ritus, circa nominationem novi candidati.

ASV, *Fondo Borghese*, Ser. II, vol. 223-24, fol. 275.

Ill.mo et Rev.mo Signore et Patrone mio Colendissimo.

Non sono fuor di speranza, che il Vescovo di rito Greco, che si deve creare per la città di Leopoli, che li giorni addietro per la morte de l'altro vacò, non possa essere cattolico, poichè havendo S. Maestà inteso essere la nominatione di quella Chiesa di iuspatronato del'Arcivescovo di Leopoli del rito nostro, si è trattenuta di passar più oltre ne la nominatione di quello Scismatico, del quale a giorni passati avvisai V.S. Ill.ma et io ho procurato intanto, che questo Prelato insti appresso S. Maestà, affinchè sia conservato ne la sua facoltà di nominare. Non ha mancato l'Arcivescovo[15] di promuovere, et benche per ancora non habbia risposto la risolutione, che desideriamo, tuttavia non è stato escluso; et maggiormente mi confermo in questa opinione di così sperare quandoche l'altro Scismatico nominato da Sua Maestà non è stato per ancora consecrato;[16] et si doverà soprasedere, sinchè dal Rè saranno ben viste, considerate, et decise le ragioni del Arcivescovo. Ne io mancarò di procurare l'effetuatione di esso con tutti i mezi, che giudicarò opportuni; che non sarebbe poco in tempo di tante turbolenze, et mentre li Scismatici oprano al possibile d'annullare questa santa unione, ottenessimo tanta gratia. Et per fine reverentemente bascio le mani a V.S. Ill.ma, che Dio N. Signore le doni quel bene, et contento, che desidera.

Di Varsavia li 2 di Giugno 1607.
Di V.S. Ill.ma et Rev.ma
Humilissimo et devotissimo servitore
F. Vescovo di Foligno */mp/*

---

anni 1607. Propterea rerum ecclesiasticarum et politicarum huius territorii non habuit adhuc scientiam, propria acquisitam experientia.

[15] Archiepiscopus Leopoliensis Latinorum erat Joannes Zamoyski (1603-1614).

[16] Agitur de Isaia Balaban, qui, vivente adhuc Gedeone Balaban, privilegium in Eparchiam Leopoliensem obtinuit. Erat Archimandrita Unioviensis. Etiamsi cathedram vi occupavit, sed ob resistentiam Confraternitatis eam tenere non potuit.

3.

Cracovia, 16. IX. 1607.

In negotio provisionis Ecclesiae Luceoriensis et Leopoliensis, ritus graeci; novae promissiones Regis circa nominationem Episcopi Leopoliensis.

ASV, *Fondo Borghese*, Ser. II, vol. 234, fol. 111.

Ill.mo et Rev.mo Signore et Patrone mio Colendissimo.

Ho di nuovo instato a S. Maestà per lo stabilimento del Trigamo, et con molte ragioni persuasole a non voler ritrarsi dalla deliberatione altre volte fatta in questo proposito, che essendo questo tale Cattolico non vorrei che levandosi questo Vescovato di Luceoria a lui fosse dato ad uno Scismatico, come possiamo con ragione temere per li nuovi tumulti. Ne ho cavato intentione tale, che quando S. Maestà non si revochi, possiamo esser certi, ch'il Vescovato sia per essere di simil persona; s'ha riservato solo di soprasedere per hora la dichiaratione de' l'animo suo per non tirarsi addosso tutti gli Scismatici, li quali rabbiosamente perseguitano questa santa unione.

Ho medesimamente ricordato a S. Maestà la speditione de l'altro Vescovato di Leopoli de lo stesso rito Greco, et pregatala a voler a questo raccomandar persona cattolica, mi ha risposto, che non trovando soggetto del'unione, che sia idoneo a tal carico, è costretto a darlo ad uno Scismatico, il qual però lasciarà l'opinione loro, et adherirà a la Chiesa Romana. L'ho pregato che non voglia dar il Vescovato a tale, che prima in man mia prometta l'obedienza al Pontefice Romano, et receda in tutto, e per tutto da le false opinioni loro, et abbracci la Religione Cattolica, et adherisca a l'Unione; et credo che così si debba fare. Et per fine a V.S. Ill.ma riverentemente bascio le mani, che Dio N. Signore l'essalti ad ogni altra maggior grandezza.

Di Cracovia li 16 di Settembre 1607.

Di V.S. Ill.ma et Rev.ma

Humilissimo et devotissimo servitore

F. Vescovo di Foligno /*mp*/

4.

Cracovia, 21. X. 1607

Nominatio in Sedem Leopoliensem Hieremiae Tyssarovskyj a Rege decisa; spes Nuntii Apost. de professione fidei catholicae novi canditati.

ASV, *Fondo Borghese*, Ser. II, vol. 234, fol. 170.

Ill.mo et Rev.mo Signor et Patrone mio Colendissimo.

L'importunità di coloro, che sono infesti à la Chiesa Romana,

le assidue et vehementi instanze de' Scismatici et il timore che Sua Maestà hà di non perdere il seguito de' Greci lo fa risolvere di dar il Vescovato del rito greco di Leopoli ad uno Scismatico, et se non mi fossi opposto a questi disegni, a quest'hora la speditione saria fuori. Se ben non credo di poter operar tanto, che possi rimovere il Re da questo pensiero, spero non di meno di concludere, che questo tale non lo conseguisca prima, che in mano del Arcivescovo di Leopoli non giuri l'obedienza à N.S., riconosca la Chiesa Romana per Capo, s'unisca con quella, et detesti l'opinioni, che non sono conformi a le nostre. Il che riuscendomi, come confido, dirò d'haver fatto qualche guadagno; poichè questo è uno de li due c'hanno sempre ricusato. Et per fine humilmente bascio le mani a S.V. Ill.ma a la quale Dio N. Signore conceda ogni vera consolatione.

Di Cracovia li 21 d'Ottobre 1607.
Di V.S. Ill.ma et Rev.ma
Humilissimo et devotissimo servitore
F. Vescovo di Foligno */mp/*

5.

Cracovia, 4. XI. 1607.

Tyssarovskyj a Nuntio Cracoviae exspectatur, coram quo professionem fidei catholicae facere promisit.

ASV, *Fondo Borghese*, Ser. II, vol. 234, fol. 192.

Ill.mo et Rev.mo Signore et Patrone mio Colendissimo.

Se mi sarà osservato quel che mi è stato promesso, il Greco Scismatico, che vuol essere promosso al Vescovato di Leopoli,[17] doverà presto trovarsi in questa Città per accettar avanti me l'Unione. Se ciò mi riuscirà, come spero, non resterà altro Vescovo Scismatico, che quello di Premislia. Ho parlato a Sua Maestà per l'altro di Luceoria, che... al quale doveva essere eletto il trigamo, et instatole efficacemente che questo non si conceda se non ad un Cattolico. Il Rè è pronto, ne vi fa altra difficoltà, che di trovar Cattolico à proposito, qual pure spero di trovare. Et per fine a V.S. Ill.ma riverentemente bascio le mani, et Dio N. Signore le conceda ogni vera consolatione.

Di Cracovia li 4 di Novembre 1607.
Di S.V. Ill.ma et Rev.ma
Humilissimo e devotissimo servitore
F. Vescovo di Foligno */mp/*

---

[17] Agitur iam de novo candidato Eustachio Hieremia Tyssarovskyj (1607-1641).

6.

Cracovia, 14. XI. 1607.

Accessio ad Unionem Berestensem et professio fidei catholicae Eustachii Hieremiae Tyssarovskyj; copia documenti originalis, conservati in Archivo Nuntiaturae. Textus nondum editus neque cognitus.

ASV, *Fondo Borghese*, Ser. II, vol. 234, fol. 147rv-148rv.

In nomine Domini Amen. Per hoc praesens publicum instrumentum cunctis pateat evidenter et sit notum, qualiter anno ab Incarnatione eiusdem Domini 1607, die Mercurii, 14 mensis Novembris, Indictione V, Pontificatus SS. D. N. D.ni Pauli Papae Quinti, anno eius tertio.

Coram Ill.mo et Rev.mo D. Comite Francisco Simonetta, Episcopo Fulginatensi, et ad Ser.mum D. Sigismundum III, Poloniae et Suetiae Regem, Nuntio Apostolico, meque Notario, et testibus infrascriptis, personaliter comparuit Rev.dus D. Eustachius Thessarowsky, Praesbyter Graecus, de villa Thessarow, Dioecesis Leopoliensis, qui infrascriptam instantiam fecit, et haec verba protulit.

Ill.me Domine, diu excogitavi super differentiis et controversiis quae veniunt inter Ecclesiam Latinam, et Ecclesiam Graecam, illas ventilavi, et ruminavi, et tandem comperi veritatem esse pro illis opinionibus, quas tenet, servat, et custodit Ecclesia Catholica Romana, et sic volens me liberare a divisionis laqueo, quo tenebar, prona et spontanea voluntate ad unitatem Ecclesiae Catholicae et Apostolicae Romanae, divina gratia duce, reverti volo, et quia facultas mihi nunc non est, ut ad S.mum D. N. Paulum Papam Quintum possim proficisci, ad D. V. Ill.mam confugiendum et recurrendum duxi, quam humillimis precibus precor, et exoro, ut me ad gremium S.tae Matris Ecclesiae Romanae recipere dignetur et velit, Unionem, quam cum eadem Ecclesia Romana Episcopi nostri, ritus graeci, huius Regni concluserunt, peto, recipio et accepto, et S.mum D. Nostrum Paulum Papam Quintum, et S.tam Romanam Ecclesiam Pastorem Universalem Christianitatis, recognosco, accepto, et fateor, meque usque ad mortem eidem Romano Pontifici fore pariturum promitto. Omnes haereses et opiniones a dicta Ecclesia Romana discrepantes abiuro, detestor, et maledico; et ne simulata mente reversus existimer, spondeo, et promitto D. V. Ill.mae, et per te S.to Petro Apostolorum Principi, atque SS.mo in Christo Patri et D.no N.ro Paulo Papae Quinto, et Successoribus suis, me nunquam quorumlibet suasionibus, vel quocumque alio modo ad Scisma, de quo Redemptoris Nostri gratia sum ereptus, reversurum; sed in unitate Ecclesiae Catholicae, et in communione Romani Pontificis per omnia permansurum. Unde iterum dico me in unitate et communione praemissis inconcusse permansurum,

et ita iterum spondeo, polliceor, et promitto, etc. Omni meliori modo etc.

Qui Ill.mus et Rev.mus D. Franciscus Simonetta Episcopus Fulginatensis et Nuncius Apostolicus, visa instantia, abiuratione, et promissione dicti D. Eustachii Thessarowsky, Presbyteri Graeci, vigore facultatis sibi ab Ill.mis et Rev.mis D. Cardinalibus Sacrae Congregationis haereticae pravitatis generalibus Inquisitoribus tributae, eundem D. Eustachium Thessarowsky, a quacumque excommunicatione, et censuris ecclesiasticis, occasione praemissorum incursis, absolvit, et praevia per eundem Eustachium Thessarowsky fidei professione, quam ore proprio, alta et intelligibili voce, juxta formulam Pii Papae Quarti fe.re. a se suis manibus propriis subscriptam infra registratam emisit, eundem D. Eustachium, Presbyterum Graecum, ad gremium S. Matris Ecclesiae Romanae admisit, recepit, et aggregavit etc. Omni meliori modo etc.

SEQUITUR FORMULA PROFESSIONIS, LINGUA POLONICA EMISSAE; JUXTA FORMULAM PII IIII. Fel. record.

Ja Eustaphi Thyssarowsky, zupełną wiarą wierzę, y wyznawam wszystko to cokolwiek się zamyka w wyznaniu wiary, ktorego koscioł S. Rzymsky zażywa, to iest wierze w Boga iednego Oyca wszechmogącego, Stworcę nieba y ziemię,widomych wszystkich rzeczy y niewidomych. I w iednego Pana Jezusa Christusa Syna Bożego iedynego, z Oyca przed wieki narodzonego, Boga z Boga, Swiatłość z światłości Boga prawdziwego, z Boga prawdziwego, urodzonego nie uczynionego, rownego istnością Oycu, przez ktorego wszystkie rzeczy są wczynione; ktory dla nas ludzi, y dla zbawienia naszego, zstapieł z niebiosow, y wcielony iest z Ducha swiętego, z Panny Marij, i stał się człwiekiem. Ukrzyżowan tesz dla nas pod Ponthim Pilatem, umączon y pogrzebion. I trzeciego dnia wedle pisma zmartwychwstał, y wstapił na niebiosa, siedzi u Boga Oyca na prawicy. I powtore w chwale przydzie sądzić żywe y umarłe, ktorego krolewstwu konca nie bedzie. I w Ducha S. Pana y ożywiającego, ktory od Oyca y Syna pochodzi, ktoremu z Oycem y z Synem rowno się kłaniamy, y spolnie go uchwalebniamy, ktory mowieł przez Proroky; y Jeden Swięty Powszechny y Apostolsky kościoł. Wyznawam ieden krzest na odpusczenie grzechow, y oczekiwam z martwych wstania umarłych, y żywota wiecznego Amen.

Apostolskie y kościelne podania, y insze tegosz kościoła rachowania y postanowienia stale przeimuię. Do tego pismo S. wedle tego rozumienia iako trzymała y trzyma matka kościoł S., ktorego to iest sadzć o prawdziwym rozumieniu y wykładzie pism świętych przeimuię y onego nigdy, tylko wedle iednostainego Oycow zezwolenia przeimować y wykładać nie bede.

Wyznawam tesz siedm bydz prawdziwych y własnych nowego Zakonu Sakramentow, od Jezusa Christusa Pana naszego postanowionych, y one do zbawienia narodu ludzkiego, acz nie wzystkie, potrzebne bydz, to iest krzest, bierzmowanie, eucharistia, pokuta, olei święty, świecenie Duchownych, y małżenstwo, i że łaskę nam daią a z tych krztu, bierzmowania, y świecenia bez świętokradstwa powtarzać nie może. Przyęte tesz y potwierdzone kościoła powszechnego w odprawowaniu pomenionych sakramentow obrzędy, przyjmuję, y przypusczam wszystko to cokolwiek o grzechu pierworodnym, y o usprawiedliwieniu na świętym Tridenskim Synodzie postanowiono przymuię. Wyznawam także we Mszei Swiętei ofiarowanie Bogu prawdziwy, własny y grzech gładzący za żywych y umarłych, y w naświętszym sakramencie bydz prawdziwie, rzeczywiscie, y istotnie ciało y krew pospołu z Duszą y Bostwem Pana naszego Jezusa Christusa, y bydz przemienienie wszystkiei istoty chleba w ciało, y wszystki istoty wina w krew, ktore przeminienie kościoł powszechny przeistnoczenie nazywa. Wyznawam tesz pod iedną tylko osobą całego y zupelnego Chrystusa, y prawdziwego sakramentu przyęcie. Moczno trzymam że czysciec iest, y że duszom tam zatrzymanym, modlitwy wiernych pomagaią. Także że świętych z Chrystusem kroluiących wzywać y czcić mamy, y że oni za nas się Bogu modłą, y że ich kości czcić mamy. Moczno wyznawam że obrazy Chrystusowe, Naświętszy Panny Marij, y inszych Swiętych mieć y trzymać, y onym przystoina czesć y ucciwość czynić mamy. Odpustow także władza od Chrystusa Pana w kościele zostawiona, y onych zażywanie, chrześcianskiemu człekowi bardzo do zbawienia pomocne bydz wyznawam. Swięty, powszechny y apostolsky Rzymsky kościoł wszystkich kościołow Matką nauczycielkę wyznawam, y Rzymskiemu Biskupowi S. Piotra naiwyszego z Apostołow następnikowi, y Jezusa Chrystusa namiestnikowi prawdziwe posłuszenstwo obiecuię y ślubuię. Insze tesz rzeczy wszystkie od S. Canonow y na powszechnych Oycow S. zborach, a osobliwie na S. Trydenskim Synodzie podane, postanowione, y obiaśnione bez wszelkiei wątpliwości przeimuię, y wyznawam, a wszystkie insze przeciwne y iakekolwiek heresie od kościoła potępione y odrzuczone, iako anathema ia tesz potępiam, odrzucam iako anathemę. Iż prawdziwą katolicką wiarę mimo ktorą zbawiony żaden bydz nie może, ktorą teraz dobrowolnie wyznawam, y prawdziwie trzymam, tesz całą y nienaruszona iako namocniei, do ostatniego skonania, za pomocą Bozą od moich poddanych trzymać, wyznawać, i od tych ktorzy pod władzą moią bendą, aby trzymana, wyznawana była, wedle mozności moiey starać się bendę. Co ia pomieniony Eustaphi Thessarowsky obiecuię y slubuię i ręką się własną podpisuję, y pieczęć przykładam. Dan w Krakovie 14 miesiąca Novembra 1607.

Eustaphi Thessarowsky ręką własną
Loco sigilli

Super quibus omnibus et singulis idem Rev.dus D. Eustaphius Thisarowsky, Presbyter Graecae Religionis, petiit a me Notario infrascripto fieri publicum seu publica Instrumentum seu Instrumenta etc. Acta fuerunt haec Cracoviae sub anno, die mense, Indictione, Pontificatu, quibus supra, praesentibus ibidem Ill.mo et Admodum Rev.do D. Valerio Arcangelo, T.U.D., praefati Ill.mi D. Nuncii Apostolici Auditore Generali, adm. Rev.do D. Jacobo Zadzik, S. R. M. Secretario, etc. etc., testibus ad praemissa vocatis, rogatis, et habitis.

Et quia ego Mauritius Fridericus de Andreovja, Dioecesis Cracoviensis clericus, authoritate Apostolica Notarius publicus Tribunalis Ill.mi et Rev.mi D. Comitis Nuncii Apostolici praefati Actuarius et Scriba, huiusmodi per d. R. P. D. Eustaphium factae instantiae et petitioni, abjurationi Scismatis et detestationi, obedientiae S.mo D. N. praestitae nec non eiusmodi absolutioni, in gremium S. Matris Ecclesiae receptioni etc., omnibus et singulis aliis in praedicto Instrumento contentis, una cum praenominatis testibus praesens adfui, ideo hoc idem Instrumentum manu alterius ob rectas occupationes degentes confectum, vel scriptum, personalier subscripsi, signoque quo in similibus uti soleo in maiorem fidem corroboravi, et munivi, rogatus, et requisitus.

(L. S. Notarii).

Franciscus Simonetta Comes, Dei et Apostolicae Sedis gratia Episcopus Fulginatensis ad Ser.mum D. Sigismundum III, Poloniae et Suetiae Regem, Nuntius Apostolicus.

Omnibus, has nostras visuris, verbo veritatis attestamur, suprascriptum Rev.mum D. Mauritium Fridericum esse publicum et authenticum Apostolica authoritate Notarium, ac Curiae Nostrae Actuarium, et Scribam, eiusque scripturis in Judicio et extra plenam adhiberi fidem. In quorum evidentius testimonium etc. Datum Cracoviae die Mercurii die 14 mensis Novembris, anno Domini millesimo sexcentesimo septimo.

(L. S. Nuntii).

fol. 150v: (Adnotatio Archivistae):

Abiuratio et fidei professio emissa coram Episcopo Fulginatensi, Nuntio in Polonia, ab Eustachio Thessarowski, Praesbytero Graeci ritus declarato Episcopo Leopoliensi.

Misit idem Nuntius 18 Novembris 1607.

7.

Cracovia, 18. XI. 1607.

Nuntius Apost. transmittit copiam instrumenti professionis fidei Tyssarovskyj et actum ipsum describit; refert etiam de negatione iuramenti ex parte Tyssarovskyj, bonam tamen spem habet.

ASV, *Fondo Borghese*, Ser. II, vol. 234, fol. 246rv.

Ill.me et Rev.me Signore et Patrone mio Colendissimo.

Tanto ho fatto, che il Greco, che vuol essere promosso al Vescovato di Leopoli si è finalmente risoluto di accettare l'Unione, et di riconoscere N. S. et li suoi Successori per Capo, et Pastore universale. Ha abiurato l'opinioni discrepanti da la Romana. Consente et accetta tutto quello, che la nostra Cattolica crede, tiene, et approva. Ha fatto la professione de la fede conforme la minuta di Pio IIII. fe.me et sottoscrittala; et si farà consecrare da li Vescovi Cattolici. In una sol cosa non sono restato sodisfatto, che non ha voluto giurare con tutta la fatica, che ci habbia fatta. Ho accettato quel che ho potuto; ne mi pare d'haver fatto poco. Questo Vescovato, come altre volte ho scritto à V. S. Ill.ma, è stato sempre dato a Scismatici. E assai l'hora ne siamo messi in possesso di farlo dare à chi si farà Cattolico. Ne in questo Regno resta altro Vescovo Scismatico, che quello di Premislia.

Mando à V. S. Ill.ma l'atto autentico, accioche bisognando farlo conservare nella Cancelleria del Santo Officio, lo possa fare. Non le mando l'originale de la professione, che non vorrei per viaggio si perdesse, per il disordine, che vedo ne le poste.

Se V. S. Ill.ma commandarà altrimente, l'obedirò.

Il Rè, et il Signor Gran Cancelliere[18] de Regno meritano essere ringraziati, che si sono in questa attione portati egregiamente, che senza l'assenzo del primo, et aiuto del secondo, non era possibile di poter far cosa di buono. Supplico V. S. Ill.ma à farmi gratia, d'operare che à questi due siano scritti da N. Signore Brevi[19] con ringratiarli, et essortarli à continuare; accioche vedendo questa loro opera essere stata accetta à N. Signore, nel'avvenire con maggior fervore ne favoriscano, et tengano questo Greco in officio, quando che pensasse di trasgredire.

Et per fine, con quella riverenza, che professo, bascio le mani à V. S. Ill.ma, à la quale Dio N. Signore conceda il colmo d'ogni vero bene.

Di Cracovia li 18 di Novembre 1607.

Di V. S. Ill.ma et Rev.ma

Humilissimo e devotissimo servitore

F. Vescovo di Foligno/mp/

8.

Cracovia, 12. I. 1608.

Nulla datur ulterior notitia de novo Episcopo Leopoliensi, Tyssarovskyj, an sit iam consecratus.

ASV, *Fondo Borghese,* Ser. II, vol. 237, fol. 44.

---

[18] Magnus Cancellarius Regni Poloniae tunc temporis erat Mathias Pstrokonski (1605-1608). Erat simul Ep. Premysliensis. Ab anno vero 1608 Ep. Cuiaviensis; resignavit officio Cancellarii anno 1609.

[19] Revera duo Brevia transmissa fuerunt die 6-1-1608 (cfr. ASV, *Armarium 45,* vol. 3, fol. 143-144, nr. 341-342).

Ill.mo et Rev.mo Signore et Patrone mio Colendissimo.

L'ultimo Corriero mi porta sei lettere di V. S. Ill.ma deli 22 di Dicembre.

Il Vescovo di Leopoli del Rito Greco, del quale sin hora non si è havuta nuova, se sia consecrato, ne se habbia preso il possesso del Vescovato, benche habbia ricusato di prestar il giuramento, tuttavia si ha buona speranza, ch'egli non sia per recedere dal'Unione; che così anco me ne da quasi certa sicurezza il Signor Gran Cancelliere del Regno. Io appresso di S. Maestà et in ogni altro modo non mancarò d'invigilare, et di far ogni possibile sforzo ch'egli intieramente osservi quanto ha promesso.

Il morto figlio di queste M. M.tà fu l'altr'hieri con bella pompa portato a sepelire con l'assistenza del Prencipe suo fratello, et intervento di tutte le Religioni et Confraternità, ne io ancora mancai d'intervenire. Et per fine con la solita riverenza bascio le mani a V. S. Ill.ma, à la quale prego dal Signore il compimento di quanto desidera.

Di Cracovia li 21 di Gennaro 1608.

Di V. S. Ill.ma et Rev.ma

Humilissimo e devotissimo servitore

F. Vescovo di Foligno/mp/

9.

Cracovia, 9. XI. 1608.

Nulla habetur notitia de Hieremia Tyssarovskyj et de loco eius commorationis et activitatis.

ASV, *Fondo Borghese*, Ser. II, vol. 237, fol. 78.

Ill.mo et Rev.mo Signore et Patrone mio Colendissimo.

Ho presentato al Rè il Breve ricevuto con l'ordinario passato nel particolare del Rutheno unito, et insieme a bocca ringratiatolo per parte di S. Beatitudine, et si come ne rimasto consolato, così ne rende a S. Santità humillime gratie. Mostra la Maestà Sua le solite pietà, et favore nel servitio di Dio, et di Santa Chiesa, et sta aspettando d'intendere il successo del sodetto Rutheno, non havendone dopo la partita sua inteso altra nuova, sperando intanto, ch'egli sia per essere constante, et per riuscire sempre huomo da bene.

Il Signor Gran Cancelliere, al quale ho parimente dato il suo Breve, è contentissimo, e resta a N. Signore obligatissimo della paterna volontà, con la quale si è degnato di favorirlo. E certo si ha da far molto conto della persona sua, perchè è ardentissimo nelle cose nostre, et a V. S. Ill.ma riverentemente bacio le mani, et prego dal Signore ogni maggior bene.

Di Cracovia li 9 di febbraio 1608.

Di V. S. Ill.ma et Rev.ma

Humilissimo e devotissimo servitore

F. Vescovo di Foligno /mp/

10.

Cracovia, 14. IX, 1608.

Nuntius Apost. S. Sedem certiorem facit de defectione novi Episcopi Leopoliensis, Tyssarovskyj, ad Schismaticos, qua de re certior factus est a Metropolita Kioviensi.

ASV, *Fondo Borghese,* Ser. II, vol. 236, fol. 117.

Ill.mo et Rev.mo Signore et Patrone mio Colendissimo.

